














IO: FRANCISCI SPINAE PHILOSOPHI, ET MEDICI EX RIPATRANSONA,

ATQVE

IN ALMO MACERATENSI Gymnasio de sero Medicinam primariam profitentis

DE HOMINIS PROCREATIONE TRACTATVS.

IN DVOS LIBROS DIVISVS

Atque per summas causas tàm Cælestes, quàm sublunares mirificè enucleatus,

Vbi, & multa admirabilia Naturæ arcana, & alia scitu dignissima, ac sapientibus viris, & præsertim optimis Medicinæ professoribus vtilissima explicantur.



MACERATÆ,

Ex Officina Iuliani Carboni. M.DC.XXII.

A Superioribus DD. Concessa.

ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO DOMINO CAROLO EMANVELI PIO DE SABAVDIA CARDINALI AMPLISSIMO

Atque Marchiæ de Latere Legato Domino meo Colendissimo.





OSTVLAVIT Picenum (Princeps Purpurate) paciferum Patrem. Parens præpotens Picentibus postulata præbuit; Proptereaquod *PIVM prudentissimum* Præfectum Pastor *primus præmisit*. Prudentia Principis *prouidi* Paupertas *passis palmis perfecto propugnatori periucunda pandit*. *Penuria profecto* Picentes *premebat*. Pius *prospexit, palpatores pepulit: panem pauperibus promendum præcepit*. Potest Picenum *palàm proferre*

panegiricum, P*IISSIMI* P*II perpetuò permaneat perfectius* P*alladium.* P*appant probum* P*atronum* P*icentes. Plura proferre peropto.* P*rinceps* P*oetarum* P*ium, placidum patrem posset pronunciare.* P*eragret partes* P*iceni* P*ræsul primæ præfecturæ.* P*apè proclamabunt populatim* P*riores præstantes, præsentem* P*ium paulatim* P*etri potestatem perceptu-rum, probante principatuum* P*rocreatore.* P*lura* P*ij propria promerita prænuncientur.* P*rimi* P*rotoplasti* P*ROCREATIONEM præmitto; perlege, præcor.* P*ræstat poplite per humiliter presso* P*io precinere peroptatam pacem. Datum Corinalti Cal. Octobris.* 1622.

Illustriss. & Reuerendiss. Dominationis tuæ.

Addictissimus

Io: Franciscus Spina.

EXCELLENTISS. GASPARIS MVRTVLAE CARMEN.





AM bene Spina hominum Cœlo deduces ab alto;
Nascentemq; facis Sidere multiplici,
Vt tralaat affectum ex illis, formamq; decusq;
Temperiem, & morum semina nobilium
Hinc puer aurato qui solis nascitur astro,
Aut Iouis, aut Veneris lumine conspicuus.
Imbibit influxus placidos, moresque benignos,
Et pulchram frontis vertice cesariem
Exprimit, atq; oculos festiuo lumine plenos,
Et quoq; pubentes exprimit ore genas
Et risus, dulcesq; iocos, nitidosq; lepores
Et melle hibleo dulcius eloquium
Sic quoq; qui Martis calido sub sidere natus
Saturniq, simul sidus habet gelidum
Aut Lunæ instabilis signũ reuolubile præfert,
Aut signum spectat mobile Mercurij
Igne furens rapido multas hic excitat iras
Et bello intentus torquet ad arma manus;
Aut piger incedit, tardusq; hic ambulat, aut pes
Fluctuat huic uarius, nequit habere quiem
A Cœlo cuncta à Cœlo labuntur in aluam
Maternum, & quando nascitur ipse puer.
Sic etiam planta cœlesti sidere surgunt
Sicq; feræ, & uolucres, sic quoq; piscis aqua.
Ad solem pandunt stellata uolumina Caudæ

Ales

Ales Iunonis, coeruleosq; oculos.
Ad Solem exacuit visum Regina Volucrum
Ad Solem collum pulchra columba suum
Ad Solem exultant pulchra ceruice leones
Audax ad Solem nobilis hinnit equus
Ad Solem pulchros pandunt Violaria flores
Ad Solem chalices dat Rosa purpureos
Ad Solem Conchæ, ad Solem dehiscit Echinnus
Et rorem, & gemmas concipit inde suas
Sic Iouis est Quercus, sic Martis frascinus horrit
Bellica fertq; utero spicula dura suo
Mercurij, Lunæq; simul sic germen arundo
Sic aura, & folio populus acta leui.
Cuncta hæc Spina docet, cuncta hæc describit amica
Spina manu, & scitos digerit in titulos
Et magis insignis, quam forti promoteus igne
Totum Orbem radio circuit iste suo.

AVctorum memoranda capis; generatio surgit
Ordine, quam miro, perlege signa virum
Quam bene cur sterilis, reserat, quæ fæmina gingit;
Quod stagira probat, quodq; Galenus habet.
Obruor, & nimio perfundor lumine lector,
Hei mihi, quo celebrem carmine non teneo
Gloria Ripanæ gentis nam sydus Alumnus
SPINA canendus adest, viuat honore dici.

D. Fabiani Durastantis de Sancto Iusto Medicinæ Professoris.

LAudibus excelsis decorat virtute IOANNES
FRANCISCVS Ripam SPINA Domūq; suam
Hoc duce doctorum nouas monumenta Virorum
Non poterit dignum lædere liuor opus.

D. Francisci Baroni Recinatensis.

QVI cupit Astrorum vires cognoscere terris,
Quam valeant rerum mutare hæc lumine motu
Naturam, generare, simul corrumpere cuncta;
Hoc luci sectæ veterum donare sophorum
Fœcundum quiuis semen percipere tentet,
Atq; modo quoquo genitura feratur in orbem
FRANCISCVM SPINAM circa rē consulat istam
Seminis, ac Cœli, qui vim aspirauit in vnum
Vt pateat melius foetus perfectio nobis
Alterius causas hic assignauit agentis,
Purpuream ipse Rosam de ramo SPINA Ripanæ
Manasti gentis, qua mundus fragrat vbique.

D. Herculis Constantini Medici Ophydani

AVrea tu Cœli contemplans Sydera SPINA
Sydereos motus, mente polumq; notas.
Angnoscis doctus Naturæ Arcana potentis;
Cum in toto non sit doctior orbe sophus.
Preclarus sequeris docti præcepta Galeni: &
Es medicinæ Artis Gloria, splendor, Honos

D. Dionisij Bonomi.

AD LECTOREM.

SEdibus his imis, vel sistas noscere lector
Ecce potes, quum sit, cur, vbi factus homo,
Tu genus ex alto ducis: cælestis origo
Est tibi perpandas munera dia volens.
Sume opus hoc Spinæ mirum; non palma repellit
Transonis Spinas, & quibus exit odor.
Hic hominum dotes scribit mirabile dictu.
Hic hominis partes ordine rite refert.

R. D. Placiti Lucarelli de Barbara.

IO. FRANCISCI SPINAE PHILOSOPHI ET MEDICI RIPANI.

De Hominis Procreatione.

LIBER PRIMVS.



OMINEM corporalium rerum omnium perfectissimum, atque totius creaturæ ceù compendium quoddam existentem, quamuis quoad corporis structuram contrariorum pugnæ subiectum, calamitatibus obnoxium, innumerisq; ęgritudinibus infestatum manifestè cernamus; quoad formalem tamen essentiam tali fuisse anima donatum proculdubiò cognoscimus, quæ corruptibilem materiam informans de se incorruptibilis, atque æterna persistit.

Hæc varijs constructa potentijs plurimas quoque operationes producit, neque solum habet esse cum lapidibus

vegetari cum plantis, & ſentire cum Brutis, verum etiam intelligere cum Angelis.

Quæ quidem poſtrema actio ſicut eſt ſibi peculiaris, & cæteris præſtantior, cum ſit ſupra materiam eleuata, & abſque corporeo organo adminiſtretur; ſic & per eam ſolam vltimum nobiliſsimumque finem homo aſſequitur, ad quem recta ratione tendit, & à ſummo Deo propter infinitam benignitatem re vera eſt productus, vt nempè Deum intelligeret, intelligendo amaret, amando poſsideret, & poſsidendo demùm frueretur.

Hinc ad imaginem Dei dicitur homo eſſe factus, quoniam per intellectualem naturam ipſum maximè imitando ſecundum triplicem ſtatum, in quo reperitur ſcilicèt Naturæ, Gratiæ, & Gloriæ; triplicem etiam adipiſcitur imaginē ſcilicet creationis, recreationis, & ſimilitudinis:

Etenim prout habet aptitudinem naturalem ad eum intelligendum, & amandum, habet imaginem creationis, quę in omnibus hominibus inuenitur; prout actu Deum cognoſcit, & amat, ſe diſponit ad imaginem recreationis, quæ in iuſtis tantum exiſtit: ſecundum quod eum perfectè cognoſcit, & actu diligit; meretur, & acquirit imaginem ſimilitudinis gloriæ, quæ in beatis dumtaxat reperitur.

Non igitur mirandum, quod propter hanc præcipuam operationem, per quam hominis dignitas refulget, non ſolum omnes animę virtutes organicę tanquam famulantes ſint attributæ, verum etiam ipſa intellectiua potentia ad multos habitus ſuſcipiendos ſit apta, quibus, & eximie decorata, & validiſsime fulcita actiones ſuas non tàm iucunde, quam congruè, & ordinate perficiat.

Hinc vt ad ſupernaturalem finem debite dirigatur, virtutes Theologicę per gratiam diuinitus infunduntur, Fides Spes, & Charitas: intellectui quidem fides propter principia quædam ſupernaturalia, quæ credibilia ſunt, & diuino lumine capiuntur: voluntati autem ſpes propter motum in finem tendentem: & charitas propter ſpiritualem quandam vnionem, & ad ipſum conformationem.

Vt verò ad naturalem finem rectè ordinetur, habitus naturales per assuetudinem acquiruntur; intellectuales quidem, vt intellectum disponant, & perficiant; morales vero, qui appetitus omnes moderentur; idcirco tribuuntur intellectui ad contemplandum quidem scientia, sapientia, & intellectus; ad operandum verò prudentia, & ars.

Sed ne turbulento, & impetuoso passionum motu recta ratio perueerteretur, ad cõcupiscibilem appetitum frænandum fuit ordinata temperantia, ad irascibilem fortitudo, ad voluntatem autem iustitia.

Verùm pro naturalium harum virtutum adeptione, quibus ad felicitatem contemplatiuam, & actiuam huius sæculi peruenire non prohibetur, multarum disciplinarum studium, atquè artium cultura præcipuam viam præbere potest; & inter alias omnes vnica Philosophia id optimè præstare videtur, quæ tanquam omnium facultatum cumulus ipsa sola speculabilium, agibilium, & factibilium ignorantiam expellit, in quam homo propter peccatum misere delapsus est.

Ideoque, vt veritatem rerum adipiscatur, conducit Philosophia speculatiua scilicet Mathematica, Physica, & Metaphysica, vt ea, quę secundum rationem sunt agenda, cognoscat, vtilis est actiua scilicet Ethica, Economica, & Politica.

Vt verò ea, quæ ad vitæ sustentationem, & conseruationem exterius sunt necessaria, inuestigare possit, opus est factiua, quæ sub philosophiæ genere quoque comprehenditur, cum philosophus aliud non sit, quam omnia sciens, vt sciri possunt, vt propterea cum philosophia sit omnium virtutum agregatio quædam, non præter rationem, & Mathematicæ disciplinæ, & Theologia quoque (excepta reuelata) & iuris Ciuilis facultas, & ars Medica, omnesque alij habitus operatiui sub philosophiæ nomine contineantur.

Ad harum disciplinarum possessionem acquirendam ve hemens studium, assiduus labor, debitaque diligentia po-

tiſsimum perducunt, ſed & apta corporis diſpoſitio non parum conducit, per quam actus omnes facilius, & felicius proculdubio perficiuntur; namquè licet intellectus humanus, qui eſt ſcientiarum ſubiectum, vniuerſalia cognoſcat, ac ſpecies intelligibiles, immaterialeſq; in ſe recipiat, quia tamen ſecundum ſuæ naturæ gradum rerum cognitionem naturaliter inſitam non habet, cum in primo ſtatu, antequam ſingula fieri incipiãt, ſit tanquam Tabula, in qua nihil ſcriptum eſt actu, vt teſtatur Ariſtoteles; ea de cauſa ex ſenſibilibus rebus veritatis notitiam colligendo, vt phantaſmata ſpeculetur, atque ſenſibus vtatur, neceſſe eſt.

lib. 3. de anima tex. 41.

At verò ſenſus, quoniam ſuper corporalibus organis fundati ſunt, & cum corpore in operatione comunicant, ob id propter varias corporis alterationes, & ipſos alterari, atque immutari non eſt obſcurum, ſicque ſecundum bonam, vel malam inſtrumentorum conſtitutionem, & ſenſus bene, vel male diſpoſitos melius, vel peius operari à ſapientibus obſeruatur, ex quo accidit homines meliorem habentes complexionem, melioris etiam eſſe ingenij atque ad diſcendum aptiores, molles enim carne aptos eſſe mente aſſeruit Ariſtoteles.

lib. 2. de anima tex. 94.

Corporis autem diſpoſitionem variam quilibet à principijs generationis à Cælo ſcilicet, & à ſemine ſortitur; homo enim, & Sol generant hominem, vt habetur ex Ariſt. homo tanquam cauſa particularis per ſemen, & per calorem, ſpiritumue in ſemine contentum; Cælum autem vt cauſa vniuerſalis ſua virtute partes corporis generant, primarum qualitatum temperaturam, deinde verò conformationem, conſenſum, & poſitum ſingulis inducunt, itaque præparant, vt ex diuerſa temperie, qualitatum permiſtione, ac materiæ diſpoſitione variæ oriantur inclinationes ad virtutes, vel vitia, ad bene, vel male operandum; ſic dixit Ariſtoteles animas ſequi corpora, ac ipſorum motibus ſimul affici.

lib. 2. Phyſico. tex. 26

lib. 1 phyſiun. cap. 1.

Quam doctrinam tangere videtur etiam Diuus Thomas, vbi dicit secundum naturalem corporis complexionem, & organorum dispositiouem ob impressionẽ corporum cælestium inductam materiales animæ vires disponi, & aliquos esse habiles ad irascendum, aliquos ad concupiscendum magis, vel ad aliam passionem, ex qua voluntas quamuis libera vt plurimum mouetur, & agit, sapientesque solummodo huiusce passionibus resistunt; 1. sec. q. 9. art. 5

Et propterea cum à generatione suscipiatur vitæ fundamentum, origo felicitatis, vel miseriæ, ac bonæ, vel malæ habilitatis ad actiones cunctas exercendas, vt inde non solum nati, sed bene nati, ac fortunati aliqui dicantur; idcirco Diuino fretus auxilio De HOMINIS PROCREATIONE Philosophicè, Medicè, & Astrologicè tractare sum arbitratus;

Verum quia generationem concubitus præcedit, & ad eum maris, & fœminæ coniunctio requiritur, hæc autem sine amore non fiat, cum vnio sit affectus amoris, vt inquit Diuus Dionysius, & Diuus Augustinus; Ideò tractatum ab amore exordiri conueniens existimaui, nonnullaque dicam de primo amoris pulsu, nempè tempore, quo Venere dominante amoris pruriginem sentire homines incipiunt; cumque reperiantur aliqui eius naturæ, vt difficulter amore capiantur, huius effectus causam nunc primum paucis explicare conabor. ca. 4. de diuinis nominibus. lib. 8 de Trinitate ca. 10.

De illis, qui amore capiuntur, & qui non, atque ipsorum combinatione. Cap. II.

HVMORES corporis humani secundum Philosophorum, & Medicorum sententias quatuor existunt, nempè sanguis, pituita, & vtraque bilis, atra scilicet, & flaua.

Illi homines, in quibus sanguis abundat, sanguinei nuncupantur, pituitosi vbi pituita, biliosi vbi bilis, & Melan-

cholici,

cholici, vbi melancholia, seu atra bilis superat;

lib. 2. de gene. & corrupt. tex. 45. Sed si doctrinæ ordine seruato, atque naturali decoraq; methodo altius exordium sumere volumus, cum Aristotele dicemus, sicuti ex elementis quatuor mundus inferior constituitur, ita & mundi Apotelesmata inferioris, & quatuor prędictis elementis proportione respondentibus conflari.

Homo igitur, & ipse, cum vnum sit, & perfectissimum inter mundana apotelesmata, ex quatuor proprijs constat elementis, in quę vltimo resoluitur;

Et cum humores (sicut dictum est) quatuor sint, primus humor bilis flaua est proportionata respondensq; igni, amaro sapore prædita, flauo colore, calida tactu pungens quasi primo, deinde blando calore cutem afficiens; quæcunque autem igni, secundum quod ignis est, accidunt, & quæcunque inexistunt composito propter ignem, ea omnia secundum proportionem in humano corpore ad bilem referuntur; bili, & igni Planetam dominantem Ptolemęus, & omnes alij Martem tribuunt: *lib. 1. tex. 30. quad.*

Sanguis postea succedit, & ipse humor simplex aeri proportionatus, vnde calidus, & humidus rubri coloris, quo ad saporem glycirrhizæ succum dum coquitur repręsentans, & hunc eundem in odore, non mordacis, sed blandi est caloris, ac valde temperati, eosdemquè penitus effectus proportionabiliter producit in homine, quos in compositis cæteris aer producere solet; & in Cęlo Iouem mixturam talem influentem habemus;

Tertius est Pituita colore similis carnis loturæ cruentis, hæc aquæ correspondent, & est sanguis semicoctus, qui necessitatis tempore ob alimenti penuriam a natura vertitur in sanguinem, sapore subdulcis est, colore quem diximus, rosæ folium ex parte externa propriè referens; nullum fere habet odorem, nam ex Aristotelis mente odor in sicco residet, pituita verò nihil habet siccitatis, & ideò nec aliquid odoris; & sapor non perciperetur, nisi exquisitissimum tactum homo naturaliter haberet, species enim ta- *lib. 2. de anima tex. 10.*

ctus est gustus (teste Aristotele); in Cœlo ad aquam Pituitamque erraticum sydus Luna refertur; *lib. 2. de anima tex. 101*

Quartus, & vltimus humor Melancholia, seu atra bilis nuncupatur; hæc terræ respondet, vnde, & stipticum refert saporem, qualem in piris, sorbibusque gustamus immaturis, ingratum habet odorem, qualem propriè in semimarcidis deprehendimus sorbibus, est leonini coloris, & chariophillos admodũ referentis rubro infectos colore; tactu autem non secus atque pituita est frigida, magis tamen pituitæ frigus pungit, at melancholiæ frigus diuturnius existit; ex Planetis melancholiæ, ac terræ respondentibus Saturnus vim omnem surripit;

Sed ex quibus, & à quibus fiant isti humores, ad Galenum in libris de Elementis, & Temperamentis, & ad Auicennam erit recurrendum; asserunt enim isti Philosophi, & Medici ex cibo in stomacum detruso chilum fieri, ex quo, crassioribus fęcibus ablatis, & tenuioribus excrementis, fit quædam massa in ramis venæ portæ existens, quæ ad hepar transmissa in secunda concoctione transmutatur, & pars calidior, atque tenuior euadit bilis; crassior fit melancholia; frigidior, & crudior pituita: dulcior autem, & humidior in sanguinem facessit;

Ex horum igitur humorum dominio, quædam maior, & minor ad appetitum concupiscibilem aptitudo oriri solet, ob quam nonnulli amant, nonnulli veneris ardorem non sentiunt, alii magis, alij minus, alij amant, sed non amantur, & alij amant, & amantur; lites etiam, dissentiones, rixæ, concordiæ, dulcedo, amaritudo ob dictam causam inter amantes oriuntur.

Nam vt experientia est comprobatum, melancholici veri maxima difficultate amore capiuntur, sed si ipsius scintilla eos incipit calefacere, liberantur nunquam, vel tardissime; terra enim maxima difficultate calorem suscipit; postquam verò susceperit diù retinet: hoc idem proprium est sicci, cumque melancholici sint terrestres, & saturnini, post aliquam diuturnam calefactionem Veneris cupidinisq;

4. Problematis 31. nisq; ardore libidinosissimi ex Aristotele efficiuntur.

Veri pituitosi nunquam afficiuntur cupidinis desiderio causa frigiditatis nimiæ, vt non immerito Lunam Poetę virginem finxerint, & sub Dianæ nomine, quia propter Lunę immodicum frigus mulieres quarum natalibus ipsa dominatur, libidinis ardore, ęstuque conspiciuntur carere.

Biliosi ad venerem mirum in modum sunt procliues, spiritibus enim, & acribus humoribus abundant, qui vellicant partes illas. Sanguinei Iouis adminiculo temperati sunt, influit enim Iupiter temperiem optimam, atque calidum humorem ingerens vitæ proportionatum, prolem, ac species auget, non immerito igitur Poetæ multos amores ei tribuunt;

Ideò dum purum, limpidum, clarum, suauem, iucundumque amorem videmus, à Ioue oriri iudicabimus;

Hinc Poetæ (à quibus multum didici) Ledam adamasse dicunt, cum qua, cygni forma indutus, concubuisse ferunt; Cygnus enim clarus, purus, & albus, nec non suauiter canens existit à Leda fuit captus, & mox ipse Ledam cæpit, vnde semine diuino effecta pregnans, eodem partu Castorem, & Pollucem simul est enixa, qui post mortem ambo relati sunt in numerum Deorum, & ex hoc patet, quando mutuo sanguinei amore se amant; suauem, iucundumque esse amorem, easdem eis esse voluptates, & desideria;

Sed si sanguineus biliosum amore prosequitur, & contra ob dulcedinem, asperitatemque humorum, modo dulcedo, modo amaritudo, modo dolor oritur, vna cum ardente desiderij cupiditate, atque quadam violentia;

Nec præter rationem Poetæ fabulati sunt Iouem terrifica fulguris specie accepta Eginam vitiasse; hoc euenit, sicut dictum est, à Iouis prædominio in ortu vnius, in alterius vero inter mortales aduentu Martis potentia.

Quando sanguineus melancholicum amore prosequitur, vel contra, licet dulcedo sanguinis melancholię, seu bilis atrę amaritudinem moderate temperet, & inter amantes notabi-

notabiles animi alterationes minime occurrant; tamen amorem quendam ex honesto turpique mixtum partim humanum, ac intellectualem, partim ferinum, impurumque esse existimabimus: Iuppiter enim tunc Saturno mixtus erit: ideò ex Poetis colligimus hoc idem explanare cupientibus Iouem egregia, pulcherrimaque Antiopę forma captum satiri specie assumpta eam stuprasse.

Si pituitosus sanguineum amat, vel sanguineus pituitosum, lenis mitisque erit talis amor: Iuppiter enim cum Lunæ miscela pium, ac tenerum amorem cum lenitate influit vt Matris nutricisque in filium, atque alumnum: vnde cum Cadmi filiam nempe Semelem adamasset, Beroes nutricis puellæ mentitus persona, cum virgine venerem exercuisse dicunt.

Cum verò multum à temperamento sanguineo, sed parum ad frigiditatem vnius temperatura declinat, veluti Veneris, tunc amor ad voluptatem tendens excitabitur. Iupiter cum Venere commixtus maximam inducit voluptatem; ideò ambę fortunę ab Astrologis habentur, quapropter non inconueniens fuit, si poetæ cecinere Iouem Europam adamasse, & pulcherrimi iuuenci specie indutum deceptam rapuisse Virginem; signum enim Tauri in Cœlo (vt ab Astrologis percipimus) est Veneris Palatium.

Sed si vnius temperamentum ad calidum siccumque temperatum declinent, nobilis, egregius, & imperiosus efficitur amor, Iupiter enim cum Sole mixtus regnandi, dominandi, ac gradus dignitatis altißimos obtinendi animis humanis amorem vehementem solet imprimere: Ideo Poetæ dixerunt, Iouem vt Asteria potiretur in Aquilam se transformasse:

Aquila (vt patet) volucrum Regina est, quę altißime volat: vt etiam Poeta dicebat. *Lucret. lib. 5.*

Hic neque tum solis rota cerni lumine largo
Altiuolans poterat &c.

De Ioue præterea poetę fabulantur se fęminea specie simulata Calistonem obtinuisse, alludentes ipsi ad Astrologos, Iouem in fęminino signo talia portendere, at in masculino detentum signo Alcibiadis amores excitare, ideo poetæ eum deperisse Ganimedem puerum formosissimum, ipsumque sublatum in Cœlum in Aquarium Saturni mansionem transtulisse tradiderunt,

Ex quo duo Astrologus considerare potest, vel signum Aquarij masculinum, vel diurnum ipsius Saturni Domicilium:

Ferunt etiam Iouem Danaes captum amore callidissima subtilissimaq; inuentione pluuiæ aureæ obtinuisse virginem; sumitur ab Astrologis talis consideratio asserentibus Iouem cum Mercurio mixtum amorem ad vtilitatem spectantem inducere; cum Mercurius facultatum, substantiarumque sit sedulus procurator, affluentium enim pecuniarum distributio est causa principalis, & potissima, vt diuites, potentesque ab egenis pauperibus diligantur;

Humiles, & egeni tanquam pluuiam è Cœlo descendentem maxima auiditate diuitum pecunias desiderant, expectant, accipiuntque:

Sed ad propositum nostrum reuertamur. Cũ biliosi duo se inuicem amant, intolerabilis est amor, & licet humorum conformitas aliquam inter se beneuolentiam generet, bilis tamen semper in rixis esse facit, cum calidi sit attrahere, & congregare, & congregata dissipare, quod videmus in flamma licni, quæ oleum attrahit, & attractum rursus in aerem fumum, cinerem, & excrementum conuertit, quod fungum vocat Virgilius dum inquit.

Lib 1. Georg.

Nec nocturna quidem carpentes pensa puellæ
Nesciuere hyemem: testa cum ardente viderent,
Scintillare oleum, & putres concrescere fungos.

Præterea ignis proprium est agitari, nec quiescere; huius naturam ego Ripetranson patrię meę cognoui in Achroo.

Sed si

vorctur: hominis calua ad epilepſiam valet; viua anas ventri admota tormina compeſcit. Albertus Magnus teſtatur quod ſi Cocodrili ex ſuperiori palato ſiniſtro caninus dens accipiatur, & ſuper febricitantem ſuſpendatur, ſanat febrem, quæ minime redibit. Hæc omnia per occultam naturam proprietatemque, & quia cognoſco non poſſe minimam partem referre, cum nec lapidum quorundam aliquid dixiſſem, ideo forſan alibi diffuſe tractabitur; ſufficit interim ſcire ſympathiam, & Antipathiam eſſe conſenſum, & diſsidium rerum abſque manifeſta cauſa, ſicut dictum eſt, quæ non ſolum in homine, verum etiam omnibus in rebus ipſarum vna exiſtit; *lib. de mirab. Mundi cap. 36.*

Sed antequam vlterius ſermo progrediatur, occurrit difficultas vtrum ſupradicta à me enarrata vim habeant operenturque ſemper; Hæc difficultas in mentem venit, quia certe exiſtimo aliquos Medicos huiuſce tempeſtatis à me dicta vana, fictitia, & nullius fore vtilitatis arguendo non recuſare, immo aliqui dicent Albertũ Magnum fuiſſe mendoſum, ſic alios talia exiſtimantes; Ariſtoteles verò dicebat, ad pauca reſpicientes facile enunciare. Alberti ſecreta, atque remedia omnia vera ſunt ſi ipſis bene vtemur, & ſecundum artem à ſe traditam, & à paucis perceptam Ad difficultatem igitur dico, quod non ſemper vim habent, ſed interdum, quia quęlibet cęleſtis impreſsio & tempore, & paruitate, & ſubiecti ratione, & contrarietate eius, quod effici debet, debilitatur, & inanis redditur; ex quo patet, quanta ſit mirabilis Cęlorum potentia, atque Medico ſcitu neceſſaria; nam in Chirurgia non bene venam ſecare poteſt quis, niſi Cœlo perſpecto: idem in pharmacia accidit, in prognoſtico perfecta, & imperfecta criſi; in legendis herbis, atque componendis medicamentis, & in Aeris mutationibus, vt ſcire poſsimus, qui morbi in plebem graſſentur. *lib. 2. de gene. & corrupt. tex. 8.*

In conficiendis denique medicamentis, vt dictum eſt, quæ Aſtrologico delectu fortiora, & tutiora euadunt; nam verbi gratia Rhabarbarum, quod bilem purgare ſolet,

non

non ſemper purgat vel antiquitate, vel quia inane, leueque ſeu carioſum; ſic etiam in qualitate contraria, veluti in homine pituitoſo, robuſtioreque corpore, atque diebus frigidiſsimis, hyemeque aſpera.

Medicamenta igitur robuſtiora euadunt ſub influentijs ſibi ſimilibus tractata: huic opinioni aſtipulatus eſt Marſilius Ficinus, dum inquit, quæ quidem contuſio calefactioque facta ſub armonia cœleſti ſimili armoniæ, quæ quandam materiæ virtutem infuderat, excitat virtutem ipſam, atque corroborat, ſicut flatus flammam: & manifeſtam afficit ante latentem, ſicut calor ignis in aſpectum producit litteras ſcriptas ſucco cępæ prius deliteſcentes: Atque literæ hirci adipe inſcriptæ lapide prorſus occultæ ſi lapis ſubmergatur aceto, prodeunt, & quaſi ſculptæ eminentes extant: immò vero ſicut tactus ſcopę vel arbuti ſuſcitat rabiem conſopitam, ſic contuſio quædam, & calefactio ſola latentem in materia virtutem prodit, facta videlicet opportune. Qua quidem cœleſti opportunitate expedit in medicinis conficiendis vti.

lib. de vita Cœli. comparãda cap. 18.

Non immerito igitur ſi alicubi aſſerenter affirmabat inter medicamenta talia, & illa abſque delectu Aſtrologico facta, ſicut inter merum, & aquam differentiam eſſe:

In proœmio de vita Cœlitus cõperãda. lib. 2. c. 18. de abditis rerum cauſis.

Medici noſtræ tempeſtatis, quæ dixi, praua ignorant diſpoſitione; ſed Fernelium percipiamus. Cinerem cancri vſti, Sole Leonis ſignum peragrante, Luna decima octaua, Aeſcherion empyricus Galeni laude celebratus ad rabidorum canum morſus aſſerebat. Sexcenta eius generis recta philoſophantium ſententia confirmat, docetque pariter qui Planetæ, & quæ ſydera vnicuique corporis particulæ, & quæ vnicuique tum animantium tum ſtirpium generi præſint, quæ ſyderum conſociatio morbos ingeneret, quæ ſalutaria profligendis illis remedia ferat; hac inſpectione cognitioneque rerum, mox ratione compræhenditur, quo omni tẽpore rerum proprietates cum mundi ſpiritu illabuntur, inſuntque rebus efficaciſsime, & quando herbas ſtirpeſque ſingulas legere, quando componere,

quando

quando ad curationem adhibere expediat, ea obseruatio cælestia vtiliter accomodat, apta que terrenis, & remedia plenis integrisque viribus opportune sufficiés, opera profert admiratione digna, ad quæ non alius quisquam accedet ijsdem etiam subsidijs instructus. Hinc quas veteres magna vigilantia peruestigarunt rerum proprietates, nunc permulti irritas comperiunt, quarum vsu intempestiuo plerumque fraudantur. Non parui (scio) Astrologiam superstitiosa rerum vanitate contaminarunt; alij nefandis, ac vilibus figmentis consperserunt; alij libertatem animi, actionesque nostras syderum necessitati perperam obstrinxerunt: cęterum elementorum, corporumque naturalium vires cælestium motu viribusque teneri, atque conseruari quis iam ibit inficias?

Ignoro, an clarius viri clarissimi verba possint intelligi, sed quia in libris de MVTATIONE AERIS à me satis prolixe tractantur; ideo ad Sympathiæ, & Antipathię species iudico deueniendum.

De Sympathia, & Antipathia Speciebus. Cap. IIII.

NE omnino sympathiæ, & Antipathiæ tractatio sit denudata, decreueram in hoc capite ipsarum species demonstrare, quæ licet omnino animo meo non satisfaciant, tamen quia ab homine non vulgari edoctus fui, idcirco eas referre non dedignabor.

Species igitur decem sunt. Prima (vt inquit) à Cœlo sumi potest, nam inter ipsum, & elementa quędam est sympathia, & ego, ni fallor, credo legisse Auerroem idem asserentem: hoc accidit, quia inter causam, & effectum aliquam esse similitudinem nemo dubitabit: *Prima* *lib.* 1. *Cœli cō.* 24. *&* 2. *Cœli cō.* 21.

Ideo experientia videtur, ob quam Lunam cum omnibus conuenire humidis, & ob id cum humoribus, piscibus, cancris, medullis quoque, & cerebro animalium, & inter radices cum allio, & cępis, quod plurimo humido constāt. Hoc in loco est obseruandum à Plutarco, cępam Lunæ

damna non ſentire; immo creſcendi, & decreſcendi habere vires ſibi contrarias, cū regerminet,& reuiuiſcat decreſcente Luna, inareſcat verò, & marceſcat eadem adoleſcente, & redeunte. Hac forſan de cauſa Sacerdotes Ægyptij Peluſiotę cępas religioſe ſuis menſis abdicarint; Nam cum herbę, arbores, fruges, & animalia Lunaris aſtri incrementa ſentiant, & detrimenta; ſola cępa aduerſas agnoſcit viciſsitudines:

Allium vero (teſte Palladio) ſi Luna ſub ſemiſphęrio exiſtente ſeratur, & rurſus Luna ſub terra latente vellatur, carebit odoris fœditate: etiam creſcente Luna ſemina ſata plantas robuſtiores, inſipidioreſque generant; ſeneſcente vero Luna tenuiores, & acriores.

Sol cum aere, & his, quæ aere gaudent, veluti cum corde, conuenientiam habet; non immerito igitur ſi in Microcoſmo cor ſe habeat tanquam Sol cæleſtis; nam ſicut Sol cæleſtis eſt principium vitę in mundo ſublunari, atque magno; ita cor eſt principium vitæ in Microcoſmo.

Secunda Ob qualitatum conſenſum dixit ſecundam ſpeciem eſſe, ſed non ſimpliciter, quia omnia ſic eſſent, ſed quæ gradum ſimilem habent; nam quæ vtranque qualitatem ſunt ſortitæ, commoderatam habent inter ſe ſympathiam (ſicut in ſecundo huius capite dictum eſt) talia enim ætate, & ſpecie aſsimilantur, inde ſpecie ſola, vel etiam propinqua, vt patet hominem canem amare: a peſte homo ab equi anhelitu præſeruatur, & canis contentus ſuper ventriculum concoctioni prodeſt, hæc ſpecie propinqua;

Etate vero videntur iuuenes ad inuicem cōgregari plus cito, commorarique libentius, quam cum ſenibus, quamuis ipſi diuerſæ ſint prolis, & ita pueri ſimul, & ſenes cum ſenibus, & maſculi ſimul, & fęminę cum fœminis, nec non aues cum auibus, & non cum animalibus terreſtribus, & e conuerſo; ratio (vt opinor) eſt, quia ętatis virtus in ſimilitudine eos facere ſic vicit: vnde adagio fertur, omne ſimile ſuum appetit ſimile.

Tertia Sympathiæ ſpecies tertia à ſubſtantiæ ſimilitudine proficiſcitur,

ficiscitur, vnde homo ob calamitates alteri homini miseretur, tristaturque; hęc sympathiæ species à me non solum in hominibus reperta est, verum etiam & in brutis ad inuicem, tum eiusdem, tum diuersæ speciei: recordor quemdam pugnare, & ipsius canem tristari, ipsique misereri, atque latratu, morsibusque eum defendere: interdum canibus male affectis homines miserētur: id etiam de equo, & similibus dici potest, quæ animalia forsan propter vsum magis affinitatem, atque sympathiam cum homine habēt: etiam vulnera, seu hominis vulcera alterius hominis spiritu solent curari.

Quarta species est eorum, quæ ab ijsdem causis procedere solent, vt frater absentis fratris incōmodis occulte afficitur: quod ab ijsdem parentibus sint orti. *Quarta*

Quinta ab imperante, & obedientibus, vt inter Regem, & subditos, & inter cor, & reliqua membra; videntur enim affici simul, quoniam suarum virium partem maximam recipiunt; ita etiam intelligendum de Sole, & alijs Stellis, quæ ab ipso lumen omne suscipiunt. *Quinta*

Ab alimento, & illo, quod nutritur, sumpta est species sexta, sic & plantæ conuenientiora trahunt, adeo vt, ipse dicat, lupinos ab amaritudine terram purgare, ideo qui comedunt lupinos, amaros esse sensu iudicant. *Sexta*

Caloris cuiusque ad id, quod conseruatur, septima est; sic flamma licet vitam non agat, tamen in vitam agentium formam flecti videmus, nempe ad partem, vbi alimentum inexistit, atque ad partem illam mirum in modum extendi. *Septima*

Communis ratione consensus octaua, quo humido iunctus calor leuia trahit sicca: sic adamas, & electrum cum panno affricentur, festucas trahunt; sed & resineta quædam, quæue pingui substantia constant, inter se consentiunt, nam oleum pix eluit, etiam si villosæ, seu sericæ, holosericæq; vestes, coccinæ vermiculatæ, ostrinæ, quæque murice, ac purpura sunt tinctæ ex eo neuos, ac maculas contraxerint, omnia enim inquinamenta huiusmodi, ac sordes, ac oleum tam nitide eximunt, atque emaculant, *Octaua*

vt ne vestigium quidem illius lituræ appareat: dubitabit igitur aliquis circa ipsa an malitias sibi attrahentia per aliquam sympathiam faciant; respondetur quod non, quia licet creta, seu glis, butyrum, ouique candidum, & similia liquoribus immixta, incoctaque sorditiem omnem ad se trahere videantur, non tamen sympathia id agunt; verum quia omnia hæc viscida sunt, & dum coquuntur etiam talia manent; cum igitur ob calorem omnia misceantur, quæcunque his adhæserint, rursus propter tenacitatem separari nequeunt, ob idque liquores à sorditie purgant.

Nona Nona species est ob totius consensum, seu amorem iunctum causa vnius finis, veluti in generatione, nempe cum animalia sibi conueniunt, vti masculi, & fæminæ: sed hęc non solum in rationalibus, & sensitiuis, sed & vegetatiuis etiam, veluti in plantis, nempe, palmis masculis, & fœminis: hæ enim magnam sensus speciem præseferre videntur; nam in quadam Numidiæ vrbe nomine Data, vbi mirum in modum palmæ abundant, nisi florentis masculi ramus florentis fœminæ ramis misceatur, fructus macilenti, atque saporis insuauis, seu insipidi, osse pręgrandi nascuntur; quod si à masculo nullum suscipiat auxilium, fructus deciduj fiunt; at vel cinere, vel folijs, vel cortice illius confirmata fructus ad maturitatem perducit.

Ego verò alibi legisse recordor palmam quasi aridam euadere depressis ramis, atque folijs; vnde Agricolæ ipsam inspectam alteram palmam amore prosequi iudicant: ideo eam osculantur, atque amplectuntur; venientes postea ad alteram palmam idem faciunt, redientes ad amantem amplectuntur, osculanturque iterum, & si eam pristinum viridem colorem paulatim acquirere vident, illam amasiam esse iudicant; si vero adhuc oppressam remanere, veniunt ad alteram, & ijsdem adhibitis cęremonijs vident an sit amata, & sic faciunt donec ad amasiam veniant, qua inuenta, ipsam osculantur, atque amplectuntur, & tanquam nuncij ad palmam amantem redeunt, quæ tanquam sentiens tanta capitur lætitia, vt paulatim reuiuiscere videatur.

deatur, tunc Agricolæ ramum ab amara sectum palma ad amantem ferunt, & ad ipsius ramum ligant, & tali pacto palma viuificatur, & fit viridis, atque fructus optimos producit; sed si Agricolæ vel ignorantia, vel pigritia, vel alia de causa id non fecerint, palma perditur, atque siccatur.

Albertus vero Magnus licet idem intelligat, tamen diuerso modo, nam ipse quorundam antiquorum Philosophorum auctoritate hæc formalia inquit. Palma arbor est, quæ habet masculum, & fœminam, & cum masculo fœmina appropinquatur, & videtur masculo declinata, & ipsius folia mollificata, & rami ad masculum declinantes; cum ergo ad palmas vident illud, funes ligant à masculo ad fęminam, redit erecta super se ipsam quasi adepta sit à masculo per funis continuitatem masculi virtutem. *lib. de mirab. mundi cap. 17.*

Decima, & vltima species sympathiæ est, qua animi ipsi sibi inuicem conueniunt cęlesti illa sympathia; atque ibi vera est beatitas, cum in virtute constiterit; Hæc enim armonia quędam est, atque concentus, velut & inter ipsa cælestia Sidera. *Decima*

His ita de sympathia statutis, de antipathia contrarium intelligitur. Hęc retuli quatenus à viro clarissimo sunt dicta: ego vero forsan aliter sentirem, & species non ita multiplicarem; sed vocabulorum ethymologia à Cælio Rhodogino in suis libris facile habetur. Obiter hęc tetigi, sicut etiam in sequenti capite aliud de Amore tangam.

De Amore, & Pulchritudine, & à quibus conficiantur Gratijs. Cap. V.

RELICTIS alijs Amorum speciebus, aliqua tantum de honesto, naturalique mulierum amore dicere conabor, cuius explicatio quamuis ad alios spectet, huic tamen instituto non parum conuenire existimaui; si ergo quid talis sit amor scire desideramus, à Galeno ediscere possumus concupiscibilis affectum esse, seu quendam concupi- *lib. 4. c. 1. de Placit. Hip. atq; Platonis.*

scibilis

ſcibilis facultatis motum: in hac etiam ſententia videtur fuiſſe D. Thomas.

pri. 2. queſ. 26 artic. 1.

Ex dictis colligere licet maximam Poetarum Aſtrologiam, ac Philoſophiam, dum Cupidinem deſcribunt, ex Venere, Marteque procreatum puerum, cęcum, nudum, ſagittantem, & alatum. Cupido igitur quædam amoris affectio, & abſoluta concupiſcentia exiſtit ex Martis ardore, Venereaque libidine ſatus: Venus autem, & Mars ſecundum Aſtrologorum ſententias ſunt ſydera contraria, nempe vnius domicilia ad alterius oppoſita, Mars enim arietem, & ſcorpionem ſortitus, Venus autem Taurum, & Libram, vnde tamquam duo contraria mixtioni optime deſeruientia inter ſe ſe videntur cõuenire, ex quorum mixtione concubituque mutuo, nimirum effectus proueniunt temperati præſertim generandi, ac nutriendi, cum alter eorum calorem actuum amborum cauſam agentem, altera humorem temperatum cauſam vtriuſque patientem dicatur conferre:

lib. 1. tex. 30. quadri.

Et licet laudabile Veneris frigus, quærat Martis ardorem recte temperare, tamen quia Martis calor adeo vehemens exiſtit, vt in ardorem conuertatur, ſicut Ptholemæus aſſerebat; Ideo Venerem ipſi mixtam furentem effręnatam, & indomitam libidinem influere exiſtimatur, ex qua Cupido lætatur.

Hac de cauſa Poetæ tradiderunt Martem, & Venerem ſe ſe maxime adamaſſe, cum alter acrimoniam, altera vero laudabilem quendam humorem ſemini, & generationi largiatur: colligitur etiam horum planetarum beneuolentia ab ipſorum domibus, cum Venus Taurum poſt Arietem Domum Martis amantem collocaſſet, & Mars ſuum domicilium Scorpionem poſt Libram Veneris palatium poſuiſſet, vnde ſupradicta qualitatum oppoſitio ratione domorum Zodiaci oppoſitarum nullum affert impedimentum, immo æquum eſt, vt hi duo planetæ ſe ſe inuicẽ contemperent, & nobiliſsimos producant effectus.

Sed ad Cupidinem reuertamur, quem dictum fuit eſſe

puerum

puerum, cęcum, nudum, iaculantem, & alatum, cum puerum poetæ fingunt, cum Ouidius dicat. *libro 2. fastorũ.*

Venit ad Euphratem comitato Cupidine paruo.

Et Pontianus eum tenerum nuncupat ostendendo amorem semper augeri, & non secus, ac infantem, incontinentem, indomitumque conspici, ideo Faustus asserebat.

Hactenus inuicti lasciua cupidinis Arma
& Hieron. Ang.
Omniuagans quatiens puer insuperabilis alas

Pingunt eum nudum sicut colligitur à Calent. dicente.

Hinc etiam posuit nudus sua castra Cupido.

Vt notum sit amorem cælari, aut dissimulari non posse, cęcum Manticus describit dicens.

Vulnificos cæci vitare Cupidinis arcus.

Eo quod amans aliquando tanto amoris impetu fertur, vt ratione obtenebrata non videat; nec sensati hominis, sed puerilia opera faciat, hinc & puer etiam pingitur.

Recordor, iuuenes perturbatione ita impediri, vt clarissimum rationis lumen sibi aduersantis incueri, aut discernere nunquam valuissent. Claudius eum pennatum describit, & Apuleius etiam; Baptista Pius volatilem dum inquit. *libro 3.*

Per Venerisque faces, puerique volatilis arcus.

Ostendere desiderantes maximam ipsius velocitatem, cum amantis cogitationes ad obiectum amatum contendant celerrime, & ibi quietam vitam, ac fœlicissimam nanciscantur.

Eum denique cum sagittis depingunt, sicut Seneca inquit, & Ouidius. *lib. 10. Metam.*

Namque

Namque pharetratus dum dat puer oscula matri
& Baptista Pius.
Tu focus erroris, tu causa sagittifer ales.

Eæ dicuntur cupidinis sagittæ, quibus amantium corda transfigit; huiuscemodi telis inflicta vulnera, profunda, angusta, immedicabiliaque solent existere, quę vt plurimũ acutissimis radijs, quæ ex ipsorum amantium luminibus exeũt, tanquam sagittis inseruntur.

in conui uio. Prętermitto hoc in loco Orphei sententiam de Cupidine, atque Amore, sic etiam Trismegisti, atque Platonis, nec non Agathonis contemplantium de Deorum esse intelligibili, cum Orpheus dixisset Amorem esse omnibus Dijs antiquiorem, Aghaton vero iuniorem esse dicebat, qui (sicut dictum est) contemplabatur Deorum esse intelligibile, prout videlicet in Archetypo sunt, quo esse Amor dicitur iunior, per quem Deus ad instar illius esse, & idęalis produxit omnes Deos, nempe intelligentias, & particulares formas,

Orpheus tamen dum inquit Amorem esse omnibus dijs antiquiorem, in particulari contemplabatur iam productos, qui in formis particularibus existentes, Amore, per quem sunt producti, posteriores sunt, qui videlicet in esse idęali priores erant.

Sed talia ad nos minime faciunt: ideò prætermissis cum Platone dicemus duplicem esse Amorem, nempe rectum, & malum; ex recto, bonoque omnia bona procedunt; ex obliquo, ac malo omnia mala: Ideo Pausanias; cum geminus sit Amor, geminam Venerem quis neget?

Prima igitur ordinata, munda, & casta cum Ioue conueniens: deordinata inferior, varia, lasciua, & lubrica, hęc bene disposita prodest, tamen quia vt plurimum nocet, ideo poetæ diuersis nominibus eam nuncuparunt, Marullus benignam, & Lucanus. *lib. 10.*

Vt fœcunda Venus cunctarum semina rerum
Possidet. Horatius

Horatius verò in epistolis eam damnosam nuncupat: adulterinam Apuleius: impudicam Pamphilius, & iterum.

Et Genus humanum perniciosa facit.

Quid Manticus?

Mater Adulterij Venus est, stuprique repertrix.

Virgilius tamen.

Minotaurus inest Veneris monumenta nefandæ. lib. 2. Æneid.

Ecce igitur status ipsius Veneris, & Amoris instabilis, sic etiam ipsius Cupidinis filij: ideo Pontianus.

Instabilisque puer &c.

Hæc omnia inferius manifeste apparebunt, ideo tractatum prosequendo dicemus, quod masculus, vel fœmina concupiscibilis facultatis motu, & per humorum concordantiam (vt superius dictum est) & per pulchritudinem moueantur, quæ pulchritudo nihil aliud est nisi res perfecte cognita visui, nam incognita amare non possumus.

Amor tamen per Marsilium Ficinum nihil aliud est nisi pulchritudinis desiderium, licet pulchritudinem gratiam esse dicat à tribus gratijs compactam, descendentemque à tribus cęlestibus potentijs, nempe Apollinis, Veneris, atque Mercurij, ibi etiam quatuor amoris rationes reddit, quarum prima humana est, secunda naturalis, tertia cęlestis; quarta, & vltima diuina. *in epist. ad R.D. Matthæum de Forliu.*

Prima humana, quia amor est stabile amicitiæ fundamentum, & tanta est amicitiæ vis, vt sola amicitia absq; legibus homines recte, beateque viuere posint, & absque ipsa neque leges, neque quodlibet aliud humanum studium hominem beatum efficere possunt, nulla alia de causa, sicut Aristoteles volebat, nisi quia amicitia est concordiæ confinis; ideo in Mosaica Lege cautum erat in accessu ad expugnandam ciuitatem, vt antequam certaminis initium fieret, ei primum indicaretur pax; *lib. 2. c. 16. Magnorum Moral. Deut. 20*

Amor igitur homines in viuendo fidos, tractabiles, iucundos, facetos, & in loquendo vehementes reddit: secundam naturalem rationem superius ;in sympathia dixi, quæ etiam in brutis est, sicut Aristoteles etiam videtur assentiri; Tertia Cęlestis est, quam & ego millies considerani, expertusque sum: illi ad amorem sunt propensi, in aduentu quorum inter mortales Mercurius Venusque sint simul bene dispositi, vel aspectu, vel coniunctione, vel receptione, & vnus in alterius domo reperiatur, vel in eodem termino, aut inuicem sint dispositores.

lib. 8. ethicorũ cap. 1.

Tunc Mercurius eloquentiæ, aque ingenij magister Veneri se donat, Venus vero gratiarum pulchritudinis fideique mater ingenium illud atque eloquentiam venustate, & quadam elegantia condit, pulchritudine ornat, & fide vera format. Ideo quotidiana experientia videmus, quod licet ineptus homo videatur, atque stolidus, frigidissimusq; dum amoris igne incipit comburi, quasi experrectus à somno viuus, elegans, & acutus videtur vna cum audacia, & fęcunditate indicibili, vt etiam Poeta dicebat.

Ouid. in Meta.

Audacem faciebat Amor.
Et rursus
Fœcundum faciebat Amor.

Hoc negari non potest, Amantes, licet rustici sint, mirum in modum venustos euadere, nulla enim res est, quæ maiorem moribus addat decorem, animis nobilitatem, & corpori cultum, quam amor; hinc ad musicæ studia impellit amantes; comitatem, fortitudinem, hilaritatem, mansuetudinem proferre, corpus vestibus ornare; palestra se exercere, pila armisque ludere, Deos colere facit, tum ad magnificentiam, liberalitatem, innumeraque alia hominum sed potius Heroum ornamenta inducit, & in claris virtutibus exercendis quandam addit eloquentiam, de qua Propertius non ignarus sic dicere coactus uit.

Non

Non mihi Calliope non hæc mihi cantat Apollo,
Ingenium nobis ipsa puella facit.
Et rursus.
Carmina dictat Amor.

Cum igitur ornatiores, venustioresque efficiantur homines; ac magis moderati, ac temperati, tum fortes, liberales, sapientes, magnanimi, eruditique; non immerito acerrima pugna orta fuit inter Herculem, & Acheloum ob Deianiram, si Ouidio credendum est, & si Virgilio inter Paridem, & Menelaum propter Helenam, prout etiam aliorum poetarum libri pro maiori parte ab amoris narratione referti sunt. *Metam. lib. 9. Æneid. lib. 4.*

Sed cum in amore tria sint, potiri, sperare, & timere; iuxta hos effectus est dubitandum, an amor inter voluptates, an inter dolores sit reponendus, cum & dolor, & voluptates circa ipsos versentur; nam qui potiuntur, perfecta fruuntur voluptate, qui sperant imperfecta, quia timor quidam spei est semper immixtus, & quod pendet non videtur existere l. 15, damnum §, 1. ff. eo.

Galenus quorundam Poetarum authoritate glicypicron appellat Amorem idest dulce amarum, seu ex amaro dulce; Aristoteles vero hoc definisse videtur: ideo ad quartam rationem deuenio, quæ cum satis abunde à Platone sit discussa, non erit opus, vt verborum profluuio in ipsa morer, multis igitur ab ipso rationibus fulcita, atque probata, etiam maxima facilitate traditur; *lib. 3. de sīp. med. facult. cap. 26. in Rhetoricis. in Phed. & cōui. in conuiuio.*

*S*i vero Amor purus non erit, & inferior Venus nuncupatur à Platone, cum plerunque cum auaritia, immunditia, ac multis alijs vitijs coniunctus sit, non verum amorem esse iudicabimus, & propter talis amoris inordinantiam temerarij efficiuntur homines, vnde ipsos inter amantes numerarem nequaquam, si Aristoteli credendum est, qui alicubi cum Homero asserit amorem, & timorem sine verecundia non esse laudabilem. *lib. 2. œconomicorū c. 3*

Veri amantes interdum infirmari amore ob suspicio-

ſam in re amata animi confidentiam, & ob eandem cogitationis aſsiduitatem; cuius ſignificationem oculorum non ſolita concauitas oſtendit vna cum ipſorum aſsidua, & palpebrarum motione abſque vlla lacrima; membra etiam præter oculos in macie mutantur, eorum pulſus ſicut triſtium, ſed ſi res amata nominetur, aut ipſam videat, ſtatim pulſus propria mutatur natura atque turbatur: hoc veriſsimum eſſe experientia monſtrat, & ego recordor iuuenes vſque ad vltimum vitæ finem veniſſe; & Eraſiſtratus medicus deprehendit ex pulſu Antiochum Seleuci Regis filium amore Stratonices nouercæ adeo tabeſcere, vt niſi indulgentia Patris voti compos factus fuiſſet vitam cum morte mutaſſet. Et Galenus, qui etiam eiuſdem indicijs agnouit Iuſtam Boetij viri Romæ conſularis vxorem Pyladis in theatro ſaltantis amore flagrare, & languere.

Ideo cauendum eſt ne multũ amore talium irretiamur; hoc idem ego ab Hebręo edidici, & multa pulchra; audiamus Hebræum.

Multorum ingreſſum ne permiſeris, ſint tibi amicorum plures; Arcanum vero tuum vix è millibus vni reuela; etiam à recumbente in ſinu tuo oſtia cuſtodi oris tui. Nec contriſteris in craſtinum, quod neſcis quid vehat dies, triſtes ſunt dies noctesque pauperi; humile enim eſt tectum eius, quum deſit ei in altum ſtruendi poteſtas, & aliorum omnium vinetis celſior vinea eius quod præ inopia montis cacumina colit, vnde aliorum tectorum pluuiæ in eius tecta ſtillant, eius vero vineti cultura, & ſata iam terra ventorum impulſu in aliorum vineas irruit. Denique dicebat Hebræus, à ſpecioſa fœmina ne irretiaris, auerte lumina, nec cum eius marito epulas, potumque frequenta: Multi enim ſpecioſa muliere pereunt.

Nos vero ſi amantem dignoſcere volumus, ſtantibus ſupradictis ſignis, Diogenis veſtigia ſequemur, Diogenes autem in amante dignoſcendo inſpiciebat an exanguis, giluoque colore fuiſſet, vnde dum tales videbat, aut amare, aut inuidere pronunciabat.

Prouer. 14.

Inuidi

Inuidi enim cum aliena discruciantur virtute, contabescunt, ac osium, medullarumque putredinem concipiunt: Amantes etiam pallidos esse non mirum cum in proprijs corporibus sint mortui, sed eos in alienis viuere, dictitabat

Hac de causa forsan Poetæ Veneri Mirtum sacrarunt, cum ipsius baccæ atro sint infectæ colore, quo quidem significatur amorem tristes, ac melancholicos edere fructus.

Miror igitur quomodo stolida secta à Galeno delusa, atque repulsa amorem negare potuisset; cum etiam Chrysippi auctoritas existat valde fortis, vt Galenus refert: ex qua etiam maxima propẽsione amasij erga se amatores ita affectos volunt, qui inconsiderantius, sinequæ rationali aliqua cura degant; rationisque admonitionibus non obtemperent, immo ne audire quidem tale quidpiam patiatur. At hæc veteri decreto consentiunt, sicut & quæ sequuntur, adeoque procul à ratione absunt, vt nihil velint vel admittere, vel audire; vt non iniuria de illis dici hæc possint.

lib. 1. c. 12. de nat. facult.

lib. 4. c. 6. de Plac. Hip. atque Pla

Venus nec vllis monita verbis subsidet.
Sed si vrgeas, magis, magisq; intenditur
Amorque castigatus infestat magis.

Cum exactum tractatum de amore facere non consuluissem, satis de ipso quasi obiter dixisse arbitror; restat modo, vt (ordine seruato) dicam quo tempore masculi, & fœminę amoris igne ęstuare incipiant; ideo, vt inferius dicetur, est quando semen incipiunt ferre; in sequenti igitur capite de seminis emissione, tempore, & ipsius effectu tractatum aggrediar.

De Maris, & Fœminæ seminis emissione, Tempore, & de ipsius effectu. Cap. VI.

CIRCA Ætatis annum 13. aut paulo serius masculi aliquid virilis roboris concipiunt, tamen tunc semine

effuso

effuſo abditæ partes pubeſcere, ac mentum dicenti, decoraque lanuguine exornari incipiũt, varijs etiam in corporis partibus concreſcunt pili ob plurimum calidi innati, vnde roboris virilitatiſque eſt indicium, ſicut etiam Ioannes Baptiſta Porta Neapolitanus videtur aſſerere.

lib. 2. c. 32. Phyſiogno.

Licet tamen virginitatis florem, atque pulchritudinem perdant, tunc facies ex viuaci quadam virtute pallida, & languens fieri ſolet, caro virtutem priſtinam amittit; etiam non ijdem ſunt mores; vox enim grauis ex acuta efficitur; ſicut ex Ariſtotele colligimus, vltra grauedinem aſperior vox efficitur, ideo Galenus dicebat . . . . , ideſt caprire, efficitur igitur aſpera, quia tunc temporis in vniuerſo corpore etiam ſpiritualis membri fit mutatio, nam chondron, ſeu trachea, vel aſpera arteria dilatata, incrementi partim plus, partim minus prouenire accidit, eiuſque interiorem partem ad guttur vſque aſcendere ſtructura inęquabili, quaſi per inęqualitatem itineris impingere, vocem etiam raucam, inæqualem, atque aſperam efficere;

lib. 5. c. 7. de gener. ani. & 4 proble. 40. lib. 14. c. 7. de vſu par.

Tali tempore Iuuenes tam Maſculi, quam Fœminę mirum in modum Venerem appetunt; hac forſan de cauſa Phyſiognomici, homines vocis aſperæ luxurioſos eſſe exiſtimant, vnde ob vocis hircinæ aſperitatem ad Hircos retulere, iſtis genitales partes intumeſcere, atque vis ardorque ſobolis propagandæ in dies magis magiſque concreſcit in incrementa concipiendo vſque ad annum 45. vel 50 atque in 65. definit, tunc infęcundum fit ſpermà, & robur virile vt plurimum flacceſcere incipit;

lib. 2. c. 22. Phyſiogno.

Reperiuntur tamen ſenes validi robuſtique, qui vel temperantia iuuentutis vel innato temperamento, vel ſub aliqua fœlici conſtitutione nati ad ſeptuageſimum annum peruenientes, adhuc ſpiritus tam animales, quam vitales non ſunt ita reſoluti, & humores non arefacti; vnde tanquam Galli fęminas ſubeunt, & in concubitu peragendo viriliter, & tanquam iuuenes ſubſiſtunt, quorum multa exempla meæ tempeſtatis Ripætranſon ſuppeditant; Hoc

idem

idem Aristoteles affirmat:

Fœminis etiam accidit, quod de mare dixi. cum primum semen ferant, & hoc, vt per Aristotelem colligitur, esse solet 14. anno aut paulo serius, tunc etiam ipsæ aliquid edunt maturitatis specimen, menstruis defluentibus conceptioni aptæ efficiuntur, quæ vis illis vsque ad annum 40. porrigitur, seu 44.: multis vero, quæ corpore fruuntur forti, vegeto, validoque, ad 55. producitur fęcunditas, sicut ego in quadam muliere Ripana extra patriam in matrimonium collocata, quæ 30. filios peperat, obseruaui. *7 de nat. anima. cap. 1.*

Quæ fœcunditas non in omnibus videtur: in hac etiam muliere Aristotelis dictum fallit; Mulieres frequentius parientes celerius senescere, habet nunc 65. annos, neque 35. habere ostendit; in sexagesimo ætatis anno facto abortu cessauit fęcunditas, Aristoteles tamen vsque ad 50. annum fœcunditatem differri asserebat, quam in vita fęlicitatem nisi ad Cœli armoniam in hora ipsius ortus, conceptionisque referre non possum. *7. de hist. animal. cap. 1.* *lib. 5. c. 14. de hist. animal.*

Mas enim, & fęmina cum mirum inmodum coitus dulcedine alliciantur, ipso frequentissime vtentes, eorum corpora indubitate infrigidari ob spirituum dissipationem manifesta docet experientia, atque ab humoribus deficcari, cum maximo capitis, cerebri & oculorum incommodo iacturaque, nam cerebro liquato, die sequenti oculi lacrimas emittunt, & caput doloribus corripitur:

Immoderatus etiam Veneris vsus (Aristotele teste) omnium membrorum vires diminuit corpore macrescente, in aspectu figura turpi, oculorum acumen abreuiatur, concaui fiunt, cum omnium capitis locorum oculorum sedes maxime sit seminalis, *lib. 1. c. 18. de generat. animal.*

Patet enim manifeste rei Venereę immodico vsu oculos aperte languere, atque maxime immutari; causam Aristoteles reddit dicendo similem cerebro esse naturam geniturae, cum aquosa sit eius natura, & aduentitius calor, seminales vero purgationes à septo venire, & naturę principium hinc esse; itaque fieri vt à genitali ad pectus motus deueniant; *lib. 2. & 5. de ge. anim. & 1. prob. 33.*

Iſtis etiam vita deperditur, debilitatur ſpiritus, & cibi appetitus fruſtratur, tum obliuioſus pigerque redditur homo, in eundo grauis, ingenio rudis, ſolitis moribus ſimplicior, in laborando vanus, & alteri credendo velox. capilli facillime cadunt, & citius caneſcunt, & in fronte, & capitis sũmitate calui fiunt: ideo Ioannes Baptiſta Porta ſolitus erat dicere, quod in capitis ſummitate, nempe apud frontem, caluiciem ſignum eſſe maximę libidinis, atque inhoneſtę: tales etiam facile ob corruptũ aerem infirmantur.

lib. 2. c. 2. de humana. Ppyſog.

Hæc omnia certiſsima ſunt, videmus enim pueros, atq; puellas non pollutas minime caneſcere, neque calueſcere, immo capillos creſcere, & hoc facilius in virginum, puellarumque comis conſpicitur mirum in modum creſcentibus, poſt vero concubitum colorem, capilloſque perdere propter humorum, ex quibus nutriri conſueuerunt, inopiam: ſicut Galenus affirmat. Ipſorum caſus ignorantes cauſam, atque colorum perditionis, non ſine maxima triſtitia mirantur, vt etiam Maſculi, qui in capillorum caſu, caluicie, & capitis dolore non cognoſcunt id à frequenti Veneris vſu prouenire, atque tempore incongruo.

lib. 1. de Medic. compoſitione ſecũ. loca c. de Alopecia, caluicia & ophi.

Parcus veneris vſus (vt vno verbo dicam) facit ad vitę longitudinem, cum plurimum effundatur in ea ex arteriali illo ſanguine, atque puriſsimo ſpiritu, quod his generatio indigeat, cuius cognitionem, propter quam venus ipſa eſt conſtituta; colliquat enim (vt dictum eſt) corpora, & cerebrum offendit, ac neruos efficit tremulos; ſenium accelerat, & canitiem, oculoſque precipue debilitat.

Hæc replicare volui cognoſcens nonnullos noſtræ tempeſtatis multum indigere. Ideo vt tantum vitæ incommodum effugiatur, moderate Veneris actus exerceatur, & regulam à Poeta ſumere non erit inutile.

Venere coire iuuat, hyemis quoque tempore confert
Ianus in Autumno, ſi vis tu fore coito.

In contrarijs temporibus ſi maſculus à nimio amplexu

ac cōcubitu se non custodierit maximas ægritudines expe-ctare posset, nec nō, & mortē, Aristoteles etiam hyberno tē-pore Hominibus coitū laudat, cōmendatq; fęminis vero tē-pore ęstatis tunc etiā ad rem venereā appetentiores sunt. *lib. 5. de hist. ani. c. 8. & 4. prob. 29.*

Multi sunt qui ex veneris vsu sanitatem percipiunt, qui-dam vero infirmantur facillime, prodest Veneris vsus san-guineis ob spirituum, & sanguinis copiam; pituitosis vero, biliosis, ac melancolicis vt plurimum nocet; etiam qui non artificiose vt per diuretica sed naturaliter multū min-gunt per talem Veneris vsum sepe nocumentum solent ac-cipere, eo quod corporis superfluitates per lotium suffici-enter mundantur; sed si sanguinei sint, atque pingues con-cubitu non vtentes, & seminis superfluitate vasis imbutis infirmantur, & hoc patet non solum in Hominibus mascu-lis, verum etiam & in fœminis, pręcipue viduis, virgi-nibus, religiosisque; etiam ob naturalem calorem sperma multiplicantem accidit: ideo Medici in talium ægritudini-bus decipiuntur multoties, non bene causā perpendentes.

De seminis ortu, Natura, Viribus, & præstantia. Cap. VII.

VNDE, & à quibus corporis partibus semen oria-tur, an ab omnibus, & toto corpore, vel aliquibus, variæ sunt sententiæ Hippocrates ab omnibus corporis membris procedere inquit, sic etiam & Democritus, qui-bus Aristoteles videtur assentiri, qui sibi ipsi contradicere videtur, nam cum Alcmeone semen à cerebro per spinam labi affirmat alicubi; & interdum non ab omnibus corpo-ris partibus non à cerebro solum, sed etiam à corde, & he-pate secerni, cui sententiæ ego astipulor, sed non quatenus semen à cerebro veniat, sicut ipse Aristoteles volebat; à cerebro enim animales spiritus veniunt, ab hepate sangui-nis officina materia præbetur, deinde spiritus per arterias illabuntur ad testes, spirituumque vi erigitur caulis, seu pu-dendum, cuius impulsu materia foras eiaculatur.

in lib. de Aere, Aqua & Regione in medio 4. probl. 23. 10. proble. 56. 1. de ge. anim. c. 18. 19. 20. 5. aph. 36.

Sed Galenus aliter ſentire videtur, & non eiaculari ſemen, quia à ſpiritu propellatur, nam ita permixtus eſt cum materia ſeminali, vt & ipſe ſpiritus egeat propulſione: Sed potius quia comprimatur tenſione vaſorum; & ideo non propellit, ſed vna cum excremento propellitur, quia totum illud mixtum eliditur, & exprimitur; nam tenſione vaſorum fit hęc eiaculatio, & à mare, & à fœmina; à mare ea ratione, & modo vt compellatur in ceruicem vteri; a fæmina vero non modo in ceruicem, ſed etiam in fundum vteri, veluti infra dicetur ex eodem Galeno.

lib. de ſect. vteri c. 13.

A tribus igitur principalibus membris oritur ſperma, virtualiter tamen ex omnibus corporis partibus venire dicimus ſi Hippocratem defendere volumus, cum hepar, cor, & cerebrum virtualiter contineant omnes alias partes corporis.

An vero animales ſpiritus per propriam ſubſtantiam, vel per irradiationem perueniant, eſt dubitandum: nonnulli per irradiationem influere ſubſtinent, ad quod probandum multis contendunt rationibus: ego vero quia in Libris de MVTATIONE AERIS diffuſe hanc materiam tracto, ideo hoc in loco tantũmodo dicam, me talem doctrinam ab illis ſcientijs, quæ in primo ſunt certitudinis gradu non edidiciſſe, nunquam enim Mathematicæ ſcientiæ me docuerunt, rem aliquam aere tenuiorem tanquam Solem radios emittere, illos ſpiritus ęthere tenuiores ex Galeno habemus;

lib. an ſanguis in arterijs nat. contin.

Quanta ſit ætheris tenuitas à Plotino habetur, qui tantam eſſe ipſius tenuitatem exiſtimat, vt omnia corpora penetret vniuerſi, tam ſupra, quam infra, & cum ipſis coniunctus, & implicitus ea maiora minime reddat, quia ſpiritus iſte interior cuncta corpora corũ mole nullum prorſus augmentum recipiente, alit, atque conſeruat:

lib. 1. c. 18. de vita animalium

Et cum ſemen nec corporis ſit pars, nec alimentum, nec quidpiam colliquefactum, merito Ariſtoteles eum excrementum, & alimenti vtilis, atque vltimi reſiduum aſſerit eſſe à cibo primo profectum, & in ſanguinem conuerſum

accuratè

accuratè percoctum à vasis ipsum continentibus, experimento etiam sanguinem esse probatur; nam talis percoctus sanguis à testibus ipso nutritis, vbi tale nutrimentum superabundat semen dicitur, & ad generationem aptum, quod si vi, conatuque nimio reddatur non dum testium facultate plene conuersum (vt ijs accidit, qui mirum immodum Veneri indulgent) cruentum id plerunque prodeat;

Sed vt pleniorem habeamus notitiam, sicut per mesenterij venas iecur succũ ex intestinis rapit; sic à vena caua, quę lumbis, ac renibus solet adhęrere, per Parastates testes sugunt materiam, vena caua à grandioribus venis circum iectis, quæ à minutis, quæ partes singulas alunt, & dum vasa, ac testes impleantur, persistit illa atractio, neque prius, quam testes copia turgeant, saturenturq; intermittit: innati enim ex locis plenioribus veluti eripientes euellunt violenter; in hac sententia fuit Fernelius. *lib. 7. c. 2 Physiologiæ, lib. 2. c. 2. de gener. ani.*

Quare verò album, densumque sit, satis ab Aristotele dicetur, id accidere ab ingenito calore interiore vasorum, & testium.

Testium enim calor spiritum vitalem, & reliquos tanquam concoctione exagitans omni ex parte seminis materiæ permiscet, cumque non parum sit materia tenax, & cohęrens in spumam ab imminuto spiritu densissimam facile turgescere potest, cuius tamen bullę vt neque in butiro cerni possint; vnde (vt Aristoteles affirmat) homines antiquos latuisse non videtur seminis naturam spumosam esse, & Pythagoras optimi sanguinis spumam semen esse; *ibidem.*

Deam enim, quæ rei venereę pręest, ab ea ipsa nominarunt facultate, dicentes etiam à maris spuma Venerem fuisse ortam, atque à cœli patre Saturni sanguine testiculorum, quos Saturnus ipse amputauerat; Hinc ab illa spuma à Gręcis vocatur Aphrodite, & Aphrogenia quasi spumam Dea, & aphrodisasin idest despumare in libidinem, ratio est (vt credo) quia sal Veneris genuinum vigorem non solum titillat; sed etiam fœcundum reddit: ob id Ægyptij canes ad coitum inertes salsamentis ad Venerem

F 2 alacrio-

alacriores reddebant. Naues etiam maritimæ Plutarco, & Plinio Authoribus tam immensa murium prole, & fœcunditate onerantur, vt non desint Auctores, qui fœmina absque masculi coitu solo linctu salis concipere affirmant.

Quare verò in Deorum numerum sit relata Venus à Poetis antiquis, ista assignatur causa, quia illepidos, & primi sęculi mortales voluptatum vsus prima docuerit, & meretricibus libidines aut excogitauerit, aut certe latentes adhuc, & secretas inuulgauerit.

Vel dicere volumus secundum veritatem Venerem Adoni nupsisse, quæ in Cypro regnauit, & concupiscibili amore adeo se se dedisse, vt mulieres Reginæ exemplo, pudicitiam prostituere, & pluribus sui corporis copiam facere non vererentur;

Eam propter ęgregiam, pulcherrimamque formam Venerem omnes vocarunt, veluti præclarum, lucidissimumq; planetam illum in terris referentem, nec non in Reginam illam pulchritudinem indicibilem vna cum immoderata coeundi libidine cælestem Venerem influisse sibi persuadentes, cum concupiscibiles appetitus in inferiorem mundum demittere, & voluptariam vitam, planetæ sit proprium Veneris.

Relinquo quomodo per testiculos Cœlij patris virtutem generandi significari, per Saturnum tempus, cum cronos gręce tempus sonet, & quod omnia, quæ sub concauo Lunæ sunt, cum non sint æterna, tempori subiaceant; igitur ortum habuere, ergo & occasum habebunt, & Venus sumatur pro instrumento, cum ipsa generandi vim, appetitumque tribuat.

Lib. 14. de vsu partium cap. 10.

His igitur, & infinitis alijs speculationibus relictis venio ad Galenum asserentem seminis albedinem à tunicis oriri, cum enim vasorum tunicæ sint albæ, sanguinem sibi ipsis in formam similem immutare mirũ erit nequaquam. Sed aliquis dubitabit, cur in nullo alio vase id accidere cernatur; respondet Galenus in nullo vase sanguinem ita diu morari, neque vlli alteri vasi non dico flexus tam multos

inesse,

inesse, alios alijs cumulatos, sed nec vnicum quidem omnino conspici: quod si diu moraretur, nec preterflueret, ac repente vacuaretur, liceret, & in alijs quibusdam animalis partibus succum eiusmodi reperire, quamquam, & vasis cuiusque humidum natiuum, quo ipsorum tunicæ nutriuntur, est huiusmodi; quare nihil mirum est, si in prædictis flexibus sanguine velut stagnante succus spermaticus cogeratur.

Seminis vero vis maxima existit, nam totum corpus est, licet promiscue, & confuse, & vt Auerroes dicebat vna cum Aristotele, est generationis principium, cum semen esse requirat, vt ex eo primo ea oriantur, quæ secundum naturam constituuntur; tamen non perfectum, sed potius virtuale, instrumentaleque (vt opinor) cum principium perfectum Homo ab Aristotele sumatur;

In se etiam semen patris, aui, proaui virtutem retinet, sicut idem author verum esse testatur.

Sed quia diximus sperma generationis principium esse, quæ vis, atque facultas solum corporibus cœlestibus nempe Soli, & alijs syderibus conuenit, sicut Aristoteles asserebat: ideo semen à prouida natura factum proportione respondens elemento stellarum, aliquid diuini in se continens, de quo Atistoteles non ignarus sic efferere non dubitauit.

Inest enim in semine omnium quod facit, vt fęcunda sint semina, videlicet quod calor vocatur, idque non ignis, non talis facultas aliqua est, sed spiritus, qui in semine, spumosoque corpore continetur, & natura, quæ in eo spiritu est proportione respondens elemento stellarum, quamobrem ignis nullum animal generat, neque constitui quicquam densis, vel humidis, vel siccis videtur, at vero Solis calor, & animalium non modo qui semine continetur, verum etiam si quod excrementi sit quamquam diuersum à natura, tamen id quoque principium habet vtile: ceterum calorem in animalibus contentum nec ignem esse, neque ab igne originem ducere apertum ex his est.

lib. 1. de anim. com. 32. Aristo. lib. 1. c. 18. de gen. an. lib. 12. Metaph tex. 40. lib. 3. c. 3. de ge. animal. lib. 12 metaph. tex. 18. & lib. de gene. & corrupt. tex. 56. lib. 2. c. 3. de ge. animal.

Sed si

Sed si interrogatus à quibus pręcipue cæleſtibus cauſis ſperma oriatur, facilis eſt reſponſio; dictum fuit ſuperius hepar, cor, cerebrum; poſtea vaſa, teſtes; vltimo penem concurrere, quæ membra ſicut in Microcoſmo reperiuntur, ita etiam in ſuperiori mundo præfigurantur, cor in paruo mundo infinitas habet actiones, operationeſque, eſt calidum, & ſiccum, ab ipſo oritur vita; Sol cor cęleſte infinitas operationes in hunc mundum agit, eſt calidum, & ſiccum, & principium inferiorum generationis.

Cerebrum frigidum eſt, & humidum, Luna cęleſte cerebrum, frigida, humidaque exiſtit, & in Microcoſmo cerebrũ, atque animales ſpiritus valde imprimit, & ſuos lunares mittit influxus.

Iuppiter hepar cœleſte temperato, ac miti ſuo calore, humoreque noſtro iecori aſsimilatur, eum regit, & dominatur.

Mars in cęlo renum rationem ſolet habere, qui calore eſt acri, & Venus teſtes regens, maximum momentum affert ad optimas aquas, & ſatis pinguefaciendis non parum idoneas generandas; nam humorem quemdam temperatum, perfecte digeſtum, rerumque terreſtrium generationi optime conſulentem ſortita fuit; vnde propter proportionem, & renum, teſtiumque propinquitatem in humani ſpermatis confectione compertum Poetæ Martem, & Venerem ſe ſe maxime adamaſſe fabulantur; Acrimoniam alter, laudabilem quendã humorem ſemini largitur altera.

Mercurius eſt tanquam cęleſtis penis; nam ſicut penis propter cordis deſiderium, ac impetum, & cerebri memoriam, atque imaginationem modo extenditur, modo erigitur, modo imminuitur: ſic & quis planetarum eſt, qui frequentius modo retrogradus, modo directus, modo ſtationarius euadat quam Mercurius? pluuias alias excitat, alias reprimit, comprimitque, Solis propinquitate, atque Lunæ aſpectibus præcipue excitatur.

lib. 1. cap. 4. Quæ omnia etiam ad Solem ipſum referre poſſumus, qui Sol quaſi ſolus lucens ab Alboazen fuit nuncupatus, ab

Aſsirijs

Afsirijs Adad, quod lingua eorum solum significat, ab Hebreis vero semes, quod propriè interpretari potest pro luce

Sol igitur in Ariete, Cancro, Libra, & Capricorno idem facit, quod cor, cerebrum, hepar, & testes in animalibus. Hinc mira Dei prouidētia, cū ita recte naturā ordinauerit.

Videmus etiam vitales spiritus ad cerebrum venientes virtutes animalis actum perficere, ad hepar peruenientes naturalem virtutem roborare, ad genitalia transmissos virtutem generatricem.

Hoc idem in Sole cernimus, dum in Ariete reperitur, qui in cœlo loco cordis se habet; nam sicut cor est in medio animalis positum, & est calidæ, sicceque complexionis, ac vitæ principium, sic Aries existit in mundi medio, & est calidę, sicceque complexionis, & circuli principium (sicut ex Ptholemęo colligitur) principium etiam mundi vitæ nempe veris, & anni. *lib.* 1. *quad.* *tex.* 38.

Vnde cum Sol de Ariete scilicet corde, & oriente ad Cancrum peruenit, qui in circulo loco cerebri se habet, cum Cancer frigidæ, humidęque sit complexionis, atque in altiori Cœli parte septentrionem versus existat, sicut cerebrum in Microcosmo est humidæ, & frigidæ complexionis, & in altiori corporis parte situm est nempe in capite; tunc in Cancro, seu æstiuali tropico Sol repertus vegetabilibus in Vere generatis dat perfectionem.

Descendens de isto tropico, veniensque ad Libram, quę in Cælo loco hepatis se habet, quia sicut hepar calidæ, humidæque complexionis est principium, & ponitur in cordis oppositione, vt sui humiditate ei resistat; sic Libra calidam, & humidam complexionem sortita est, & orienti opponitur, tunc Sol in Libra situs virtutes naturales confert, cum tunc declinare incipiat, & per consequens infrigidare.

Ad Capricorni tropicum perueniens vegetabilium humiditates, quæ ipsorum generationis sunt materia vniuntur, & in radicibus per attractiuam virtutem multiplicantur, & sicut Capricornus Solis descensui vicinior locus existit, sic

ſtit, ſic genitalia membra, & vegetabilium radices naturę generationis vltima loca reperiūtur. Ex dictis patet quãta ſit ſeminis pręſtãtia, & inferiorum cum ſuperioribus ordo.

De Semine Fœminarum. Cap. VIII.

lib. 1. c. 19. de gen. an. lib. 2. c. 4. de ge. ani. lib. 4. c. 4. de gene. animal. lib. 2. colliget cap. 10. lib. 4. de vſu par. cap. 4. & lib. 1. de ſemine cap. 6. lib. 7. Phyſiol. cap. 6.

DIFFICILIS equidem tractatio eſt de fœminarum ſemine, cum Philoſophi multi multa dixiſſent: Ariſtoteles enim aſſerit fœminam ſemen non emittere, alibi vero ſemen emittere fatetur, etiam quibuſdam alijs in locis cum Zenone ſemen non emittere, ſed quandam aquoſitatem nullo modo ad generationẽ aptam; Auerroes etiam ſenſu probat, mulieris ſperma effectum non habere in generatione.

Alij verò Philoſophi, vt Pythagoras, Epicurus, & Democritus non ſolum fœminam ſemen emittere, ſed generationi valde neceſſarium confirmant; ſicut etiam Galenus teſtatur.

Ego verò Ariſtotelis ambiguitate relicta ſequar medicorum ſcolam, vno exiſtente fundamento, quod ſemen viri efficax agentis principium exiſtat, ſemen tamen mulierum conferre, atque efficaciter fętus procreationi adminiculari.

Ad quod probandum multas poſſem afferre rationes, validaque argumenta, quorum primum eſt Fernelij, qui aſſerit in diſſectis mulieribus, quæ ab actu veneris ſibi diutius temperarunt in vaſis ſemen circumfluere, atque albeſcere conſpici, etiam dormientes per inſomnia non minori ſe voluptate quam in coitu ſemen effundere, atque eiaculari; vnde docet non eſſe credendum mulieribus aſſerenter dicentibus ſe nulla in coeundo voluptate vtera concepiſſe.

Dico ego vaſa ſeminaria fruſtra illis indita forent, & genitales teſtes annexi ſi deſtituta ſeminali excremento mulier quam minimum conferret, & ſymbola prorſuſque eſſet, cum autem in neceſſarijs non deficiat natura, neque ſuperflua agat, aut nihil temere ſit molita, opus eſt ad

vſum

vſum ſeminis, ac propaganda facultatem fabricata eſſe, ſuiſque locis, ac ædibus collocata, tunc ſeminis conceptacula tum teſtes, natura, ac vis quorum eſt vim fœcundam, prolificamque ſuppeditare ſpermati.

Docet nos experientia ſemine concubitu non irritato profluxu morbos non paruos ſuboriri, ſymptomata mulieribus excitari ſæua, horrendaque; hoc enim (vt ſuperius dictum eſt) in viduis veneri diſſuetis, virginibus viro maturis, quæ ad connubium expetuntur, ſerius cernitur; vbi etiam non ſtato tempore menſes erũpunt, animi deliquio, vterique ſtrangulatione acerbiſsime infeſtari: equidem mulieribus omnibus hoc perſuaſum eſſe conuenit naturæ detrimenti plus inferre ex vitiati ſeminis, quod menſtrui fluoris ſuppreſsione, corruptum enim ſemen veneficam adſciſcit qualitatem, viruſque contrahit.

Non mirum igitur ſi iuuenculis, vbi incipiunt prurire, atque cupidinis ardore vri, muſtellinus adſit color, crebra ſuſpiria, tremor, cordiſque palpitatio, ob expultricem ſcilicet facultatem incitatam ad humoris turgentis excretionem, & ſi prouectioris ętatis virgines, ſeu pruriginoſæ viduæ deſtinantur connubio, ſemenque ſubito peſſulo virili alliciatur, in procreandęque ſobolis depromitur vſum, illas nitido, roſeoque colore perfundi faciem, efflorеſcere amabiles, blandas, minuſque moroſas, ac tetricas videre poterimus; pręſertim vbi nactæ ſunt viros; qui non ſeniori, ſed iuniori iuuenculo ſuum munus obeunt, ſtrenuè connubiali perfunguntur officio;

Hoc in loco referrem, quod mihi dictum fuit à Medico quodam Veronenſe Bononiæ de quadã muliere, cuius turpiſsima conſuetudo potius eſſet ſilentio inuoluenda quam palam afferre. Hęc enim (veluti ipſe cum periculum feciſſet affirmauit) ſtatim celebrato coitu, ac ſi podicem conſtringens penitus reſoluti eſſent muſculi fœtida emittebat excrementa; & quumque alijs temporibus anum adſtrictum habuiſſet, cõtingebat tamen (vt opinor) vt euaporatis in coitu multis ſpiritibus hoc deteſtato infeſtabatur

ſymptomate, poſtea idem obſeruauit in homine: ſunt prę-
terea mulieres, quæ in illo actu vehementiſsime vociferāt:
ſunt & quæ mordent ob miram delectationem, quam in
eiaculatione ſentiūt. Sed quæret aliquis quare in comitia-
lis morbi acceſsionibus patiens magis cōmittit ſperma
3. fen. 20. tra-ctat. 1. cap. 24. excrementum vtile quam feces inutiles; ad quod reſpon-
det Auicennas, quod ſpaſmus membrorum ſpermatis eſt
ſolutiuus, ſpaſmus muſcularum ani eſt retentiuus, muſculus
podicis eſt creatus ad retinendū, ille vero ad exprimēdum.

Reperiuntur mulieres adeo Veneris voluptatem appe-
tentes, vt laſſari citius quam ſatiari queant, vt non imme-
rito Gaudentius Merula dicat ſe vidiſſe in Auguſta Tauri-
norum adoleſcentulam ſatis elegantem, & adeo libidinis
auidam, vt quinque & triginta viros ordinis militaris ad
coitum ſeriatim admiſerit;

Quarum cognitio habetur, quod audaces ſunt, vox ſub-
tilis, altaque, colore viuaci, animo ſuperbo exiſtentes, re-
ctis corporibus, atque ſubtilibus, macriſque, pauco abun-
dant menſtruo, & lacte, libenter canunt, & voluptatibus,
choreis, ornatibuſque gaudent; hæc omnia ſigna ſunt cali-
ditatis, vnde tales mulieres quaſi maſculeſcere videntur:
potiſsima cauſa, quæ me mouet, fęminam mutuo ample-
xu ſemen conferre, & viro plus voluptatis concipere, eſt,
quia cum natura comparatum ſit, vt genitalis ſeminis eſ-
cretionem propter neruorum tentiginem, & ſpiritus tur-
gidi eruptionem, voluptas ingens comitetur, & ipſa mu-
lier geminum obeat munus, atque vtroque patiatur modo,
elicit enim ſemen virile, & ſuum commiſcet cum eo; vnde
confiteri cogimur plus illam geſtire, ac voluptatis conci-
pere, effluentiuſque effundere; ex quo etiam fit, plerunq;
fętum matri, quam patri conformiorem eſſe; matris enim
vires exuberantius ſunt impreſſę, ideo ipſę magis infantes
amant, quam patres, ſiquidem pręter ſeminis excretionem
lib. 2 de ſemine. cap. etiam ſanguinis ſinceriſsimi ſcatebra, atque irrigatione
tota temporis geſtatione alitur fœtus, augeſcitque: hac
forſan de cauſa Galenus alicubi dicere ſolebat, aliquid plus
à matre,

à matre, quam à Patre fętus suscipere, ad menstrui sanguinis effluentiam, speciem, & sexus discrimen; ad facultatem vero, ac seminis vim similitudinis rationem referebat. Sed antequam vlterius procedamus extant duæ difficultates, prima an mola posit tantum à mulierum semine oriri, cum Fernelius hoc dicat; nos tamen ne in longum sermonem proferamus cum Hippocrate, Aristotele, & Galeno dicimus molam absque viri semine oriri non posse, licet male affectũ vel paucum, vel imbecillem, vna cum mulieris semine atque sanguinis menstrui crassi, frigidique copia, & dicitur mola a motus difficultate, & grauitate, nam sicut quę molit grauis est; ita & quę in vtero mola grauat, & difficulter mouetur: à nonnullis dicitur vteri fętus mendosus.

Mola est caro informis, & inanimata adhęrens tunicis vuluæ, & interdum ipsius ostiolo, vel per totam ipsam prominens, quę fœtus modo editur in lucem: & hæc verè vteri mola debet appellari cum non vera eum vel flatu lenta sit, vel aquosa; assimilatur in multis grauiditati primo in retentione mensium: secundo in tumore ventris, & mamillarum: tertio in appetitu, & colore mutato. Differt tamen quia motum non habet periodicum, & ordinatum, nec de latere in latus, nisi comprimatur; pedes fere oedematosos reddit, & ventrem duriorem.

Secunda quare adagio feratur maiorem haberi delectationem in claudicantium, quam in aliarum mulierum concubitu; omne siquidem alimentũ quod pedi inualido erat destinandum circa genitales partes consistit, atque elaboratur in semen, cuius copia, ac vis maiorem tentiginem mouet, atque pruritum partibus excitat obscęnis; vnde maior agitatio, ex qua secum concubentium oritur etiam delectatio maior.

Differentia vero seminis maris & fœminæ in vniuersali, atque indeterminatè nempe absolutè masculo considerato, & fęmina ex altera parte, non ad indiuidua descendendo, in vigore (vt superius dixi) talis differentia consistit, nec

lib. 14. c. 10. de vsu par. & lib. 1. c. 7. & 10. de semine

non in tenuitate, ac frigiditate, & etiam in quantitate; fœminæ enim quantitatem minorem (sicut Galenus dicebat) emittunt, etiam ipsarum semen magis tenue, ac frigidum existit, sicut & idem probat: an vero solum mulieris semen ad generationem sufficiat, à comuni non solum Philosophorum, verumetiam, & Medicornm scola negatur, cuius rei exemplum à Gallinis sumitur, quæ absque Galli adminiculo, & opera edunt oua, sed ipsa in pullos (licet per annum incalescant, foueantque.) degenerare non possunt: hoc idem in mulieribus accidit, quæ citra viri ministeriũ non poterunt ex suo spermate, atque menstruo conceptum perfectum producere, quia causa magis efficiens deficit, quæ formam, ac vitam ministrat, & vim spirabilem confert; ideo virile adiumentum desideratur, & amborum semina mutua substantiæ familiaritate, amicitiaq; commisceri, prorsusque confundi necesse est.

lib. 6. cap. 15.

Hæc omnia docet Galenus, & Fernelius etiam confirmat: Dubitatur tamen an actiue vel passiue in generatione sperma mulieris concurrat; breuiter dico quod vtroque modo solet concurrere; sed ex dictis altera oritur difficultas, nam si mulier actiue, & passiue concurreret, posset ex se generare, quod est absurdum, sicut paulo ante dixi; aliam nunc responsionem non referam nisi quod fœminæ sperma ob tenuitatem, frigiditatemque, nisi à viri spermate robur suscipiat, non potest esse prolificum.

Oritur etiam alia difficultas, cum enim superius dixerim semen mulieris actiue, & passiue concurrere, sequitur ergo efficiens, & materiam simul coincidere; & idem agere, & pati, quod est impossibile; responsio erit talis, quod pars spirituosa seminis vt agens concurrit, crassa verò ex qua partes oriuntur spermaticę pro materia deseruit, nec aduersatur Galenus, dum ait sanguinem menstruum esse materiam, semen esse agens: ibi enim vult semen magis obtinere rationem agentis, menstruum verò materiæ.

lib. 1. cap. 2 de semine

Ad multiplicandum autem maris, & fœminæ sperma, ac Venerem excitandam, cibi laudabilis succi eligi debent,

quique

quique probe nutriunt, ac corpus reddunt vegetum, & ſucculentum, cuius facultatis iouialia ſunt, nempe calida, & humida, cum etiam ſemen calidum, & humidum ſit; gallorum teſtes optimi ſunt, gallinaceaque oua;

Sed dubitatur de ouis, cum caro quælibet magis venerem prouocet, quam ipſa oua, hac ratione quod illud nutrimentum magis prouocet coitũ, ex cuius ſubſtantia maior ſeminis multiplicatio generatur; at cum ſpermatis multiplicatio fiat ex ſanguinis multiplicatione, illud magis ſperma multiplicabit, quod & ſanguinem, ſicque magis prouocabit coitum, & cum caro magis quam ouum ſanguinem gignat, ſequitur quod magis quam ouum coitum excitare debeat; quod verò caro magis ſanguinem multiplicet, à ſubſtantiæ ſimilitudine ſumitur probatio; & licet multæ ſint reſponſiones, ego vnam tantum afferam nempe caliditatem virtutẽ ſtimulantem, & ventoſitatem penem eleuantem id efficere eaque ratione, qua venerem prouocare, vnde quamuis in ſpermatis generationis via carnes plus venerem excitent quam oua; tamen ſupra carnem oua dictam caliditatem, ac ventoſitatem edunt, cum oua dicantur ventoſa ex ructuoſitate, ſicut experientia patet;

Sunt, & ficedulæ, pipiones, turdi, merulæ, perdices, phaſiani, pulli paſſerculi ex Abinzoar: paſſeres enim augent calorem naturalem cum calidiſsimi ſint, ideo libidinoſiſsimi, capi coturnices, vuæ paſſæ, pini nuclei, calidi enim ſunt, & humidi, & diuretici, ideo renes, & genitalia calefacere ſolent, meatus aperientes, vt facile ad genitalia decidat ſperma; ſunt, & amygdalę, vina dulcia, generoſaque vina Appiana ideſt muſcatellum, Appius enim primus fuit, qui in Italiam, & illa mala tranſtulit alba dulciaque, & etiam vuas, quas muſcatellas appellamus, ab Appio igitur illa mala appiana, & vuæ appianæ dicuntur. *in proœmio Teiſir.*

Partes vero genitales erigentia, ac pruriginem inducentia ſunt paſtinaca, & rapæ ex eodem Abinzoar; rapæ enim propter ventoſitatem penem erigunt; ſed oritur difficultas, nam ventoſitas à frigiditate oritur; & rapæ ſunt in *citato*

ſecundo

secundo gradu calidæ, quomodo igitur ventositas potest à calido ortum habere? ad hoc dico quod causa ventositatis in rapa est primo quia sub terra latitat, & initiatur ibi digestio: & nunquam initium, & complementum digestionis sunt simul, & ideo est ventosa, atque incomplete digesta; secunda causa est humiditatis abundantia, ex qua calor naturalis superatur, ideo remanet indigesta, & per consequens ventosa; tertia quia cum sint sub terra non possunt recipere digestionem à calore Solis. Sunt & Asparagi, nasturtium, fabæ, satyrion iuxta versus antiquos:

Gaudet Hepar spodio: mace cor: cerebrum quoque musco.
Pulmo liquiritia, splen cappare, stomachusque galanga,
Membra quoque Veneris congaudet satyrione:

Napi, iringium, satirinara, cępæ, galanga, zinziber, cochleæ marinæ, acorus sespli, bulbi, carchophili, & similia, etiam suppositæ spongiæ venerem excitare ab Atheneo creduntur.

Ruta autem, vt sapientes norunt, in masculis libidinem extinguit, in fœminis tamen acut, & hoc propter sui caliditatem cum in gradu tertio sit calida, & cum Venus æquale temperamentum desideret, fœminę verò temperamentum ad frigidum, & humidum declinet, ideo ipsa vim habet mulierum incongruam temperiem ad temperamentum recudendi: hoc idem thymus facit, nam in homine seminalem deficcat, depopulaturque humorem, in fęminis vero vligine, atque superuacua humiditate corrupta vterus incalescit, atque ad libidinem potest incitari; sic etiam æstate (vt superius dictum est) magis Venerem fęminæ appetere solent cum acri mordacique salsugine genitales imbutas partes, quo circa, humectari postulant ac irrigari, eo tempore concubitum aridius appetunt, & magis pruriunt, cum ijs augescat calor, viris vero languescat, & flaccidus fiat:

Debent tam viri, quam mulieres, qui matrimonij com-

pedibus vincti sũt, abstinere à rebus frigidis, veluti lactuca, quæ in acetarijs debet retundi cum calorificis, ne semen genitale plus satis diluatur, & proinde ad generandum inefficax habeatur; & effluentius concedenda est ijs, qui cęlibatui addicti sunt, & claustra sequuntur, vt vri, ac prurire desinant; ideo Ægyptij sacerdotes (teste Plutarcho) à sale abstinebant, omnibusque salitis religiosè abstinuerũt quod illam tentiginem mouere, ac libidinem excitare probè scirent. Quod videant qui salsis piscibus, & piperatis quotidie vtuntur, & claustra sequuntur voto virginitatis vt loquuntur ex professo irretiti.

De sanguine menstruo. Cap. VIIII.

NON solum Aristotelis, verum etiam omnium Philosophorum, & Medicorum extat sententia masculos fęminis calidiores esse, ideo robustiores; fœminas verò imbecilliores, idque accidit quia in ipsis tantum calorem innatum, quo malos humores exiccare valeant, non habent, in earũ natalibus cęli potentia non ita valida, & hoc idem & magis de conceptione intelligendum. *lib. de long. & bre. vitæ c.2 & lib. 4. de gen. ani. c. 1. e 6.*

Ad marium productionem Ptholemęus tria solet coniectare Solem scilicet, Lunam, atque horoscopum vna cum ipsorum gubernatoribus, nam si ipsorum pars maior fuerit in signis masculinis, natus masculus iudicatur; si vero in fęmininis, fęminam pronunciare non verebimur. *lib. 3, quadr. tex. 18.*

Planetæ orientales solent masculescere, sic & matutini; occidentales, ac vespertini euirantur, effęminanturque ex Ptholemęo: fœminina signa omnia vel frigida, & sicca, vel frigida, & humida existunt, non immerito igitur si fęmellæ frigidum, & humidum vel siccum humorem nanciscantur, atque calorem innatum non ita viuificum sicut masculi sortitæ sint, ideo crudi humores coaceruati non ita facile concoqui possunt. *citato.*

Natura vero in necessarijs nõ deficiens purgamen quoddam cataminion nuncupatum ipsis tribuit. Hunc autem

humo-

libro 3. cap. 60. humorem ab eis omni mense à decimo quarto anno & (vt Paulus dicebat) paucis ante tertium decimum, aut duodecimum, plerisque post decimum quartum, quo etiam tempore pubescit mulier, & illi mammæ intumescunt, & vsque ad quadragesimum, vel quinquagesimum natura eijcit, nisi prægnantes, vel lactantes sint, aut aliqua accidentalis causa interueniat; hac enim ætate maribus è naribus profusiones; puellis verò obtingunt mensium eruptiones: prõptius, faciliusque patefiunt, & reserantur maribus venę, quæ ad nates sunt constitutæ: iuuenculis verò, quæ in vterum, præcipuè quæ inseruntur in ceruice.

Itaque sanguis in vena caua redundans labitur in vteri venas, & copia vna cum calore eas distendens aperit, vt ab ipsarum osculis distillans profluat è partibus obscęnis. Copia imminuta, circumcisaque redundantia quod reliquum est, & corpori necessarium retinent venæ, dum verò menstrui nihil aliud erumpet, quę pertinent ad vterum ora venarum sponte sua occludentur, & conniuebunt.

lib. 7. c. 2. de hist. animal. lib. 3. c. 1. de die bus decretorijs Authores dicunt præcipue Aristoteles, & Galenus, talem excrementi motum secundum Lunæ motum esse præsertim post Plenilunium nempe Luna silente, decrescenteque vt plurimum: licet ego à nonnullis, quæ periculum fecerint, audiuissem, talem ordinem seruare, principium eius fluxionis si in plenilunio fuerit semper eodem tempore contingere, si in tetragono, vel in synodo semper eundem ordinem, & idem tempus seruare, & interdum antecedere, vel retrocedere.

Patet autem vt plurimum in plenilunio accidere; & tale profluuium tempore præfinitum non est, nam quandoque vno perseuerat die, vel duobus, quandoque tribus quinque, lib. 2. c. 4. de ge. ani. & lib. 7. c. 2. de na. animal. alijs etiam adusque ad septimum secundum Lunæ motum, & vitiatorum humorum conditiones; & donec mulieres hoc abundant humore semper prolificę existunt; ablato tamen aufertur & fęcunditas, sicut etiam Aristoteles consentire videtur.

Et quemadmodum nulli arbori, stirpique fructus dene-

gatur.

gatur; quæ producit flosculum, nulla arbor, quæ florescit sterilis, sed quæ floribus spoliata; sic puellæ adolescentuleque, quibus menses minime afflorescunt, non protuberant, neque vterus concepto semine in fructum extumescit; ideo à nonnullis vteri rheumata flores appellantur, propterea quod arbor emittens flores (veluti dixi) vt plurimum apta est producere fructus; eodem modo mulier habens statutis temporibus menstrua potest procreare filios.

Plinius etiam de hoc profluuio scripsit, quod omnibus tricenis diebus in muliere existit, & trimestri spacio largius, quibusdam verò sæpius mense sicut aliquibus nunquam; sed tales non gignunt, nam huius excrementi confluuium homini generãdo suppeditat materiam; maris verò semine fermenti, coagulique more, hoc in se conclomante fit, vt nec ante humoris illius affluxum, nec cum fluor desijt, mulier concipere posśit; sunt etiam saltrices, & agrestes, quæ fortibus exercitijs vtentes parum aut nihil purgantur, quicquid enim in eis superfluum est nimia exercitij vehementia consumit. *lib. 7. cap. 15.*

Sed antequam sermo vlterius proferatur est dicendum, quod accidit in quadam muliere Ripætranson (veluti mihi iuramento confirmauit Laurentius Euangelista) hęc enim nec dum virgio erat, nec postquam iuncta viro vnquam talia vteri habuit rheumata, & tamen filios parit, quod quasi incredibile videtur.

Menstrui portio non est vltimi alimenti sicut semen, sed sanguinei, quod patet, quia fœminis menstruis fluentibus non varices, non mariscæ, non fluxus sanguinis narium contingere solet, sicut ex Aristotele habemus. *lib. 1. de gen. an. cap. 19.*

Statutum est igitur menstruum humorem vtilioris sanguinis exuberantiam non esse, & eum qui statis circuitibus profluit, quoddam esse genus vitiatum ęgrotansque; cum naturæ beneficio (vt superius dictum est) à puriori secernatur sanguine pręsertim Luna silente decrescenteque; ratio cuius ab Astrologo sumitur, tunc enim Luna humida frigidaque existente humores superfluitatesque augentur,

H tunc

tunc etiam (vt opinor) maius erit profluuium, atque per multos dies durabit, cum Luna post Solis diametrum reperta, per signa transeat, quæ vterum respiciunt, & pudenda; seu per signa frigida, & humida, veluti aquea triangularitas monstrat, Cancer, Scorpius, & Pisces, illa etiam, quæ humida, calidaque sunt, nec non frigida, & sicca, & illa, quæ in australi parte sunt situata, à septo transuerso inferiores partes respiciunt.

Isto exiliente humore hortorum germina exuruntur, tactæ fruges steriles fiunt, moriuntur insita, & recens vitis si tangatur orbata fructu existit, canes in rabiem statim aguntur si menstruum gustauerint, & panniculi menstruo semel infecti, prohibentur imponi super vulnera etiam si accuratissime abluti fuerint ob nocumentum, quod de experientia adferre compertum est.

Dicitur etiam mulierem abortiri prægnantem alterius mulieris menstrua supergredientem, si circa vteri regionem non grauidæ circumlinantur conceptionem prohibent, atque procreandi facultatem: purgantium etiam fœminarum vapor, & spiritus eboris nitorem, & similia perlucida obscurant; dum tale venenum in mulieribus supprimitur, cuius causæ enarrantur à Galeno, nec statis emanat temporibus symptomata grauissima, incommodaque affert, hinc vt membris superioribus maniam, melancoliam, oculorum caliginē; spiritalibus tussim, anginam, pthisim, membris nutritioni dicatis nauseam, vomitum, hydropem, inferioribus podagram, comitialem morbum, tabem, cancrum, viscerum obstructiones; & similia: si circa vterum pars exigua mulieribus grauidis inhæreat, permisceaturque puriori sanguini, cum nequeat naturæ vis illius virus vincere; grauidis mulieribus accidunt lienis tumores, fœdus faciei color, varices, malacia, corporis grauitas, aliaque infinita mala obueniunt, atque eas talis malignus h[illegible]or in omne morbi genus procliuiores reddunt magis, quam illas vterum non gerentes.

3. de sympt. caus. cap. 4. 5. aph. 57.

Etiam suis impotentius indulgere cupiditatibus facit, talis

talis contagio, serpit sensim totumque corpus inuadens venerea luce, elephantiasique inficit, quod equidem celerius peragit vbi aliquo contagioso morbo sit infecta, sic enim ipsius adminiculo obuia quæque polluit, & omnia contactu fœdat:

Vnde non mirum si tot partus monstruosi, tot hominum monstruosa species, vt in distortis est videre, mutilis, varis, ficosis, strabonibus, mancis, & similibus; quot ęgritudines circa pudenda nempe bubones, marisçę vulcera, & similia videntur, quot animi ęgritudines, deliri, obliuiosi, stupidi, blitei, bardi, stolidi, amentes, rationis inopes.

Hæc enim omnia à Venere intempestiua, enormique decubitu eueniunt, vel ex vitioso, corruptoque pręgnantium semine in posteros deriuantur;

Hinc omnes nobiscum iudicare possumus quanta sit illorum crudelitas, qui brutis peiores in liberis procreandis illuuie mensium profluente concubitum, mutuumque amplexum non exhorrescunt; hoc agentes vt ad nullas obeundas functiones nullas res præclaras, nullaque munera sint appositi; & si quippiam attentare pergant, in rebus aggrediendis nullum habent successum, nullum optatum, nullumque prosperum euentum; sunt enim naturæ diminutæ, vt quæ facultates naturales adiumento sunt hominibus, imperfectas, multilasque habeant, idque non suo, sed parentum errore, qui præter esse decorum, contraque naturæ ordinem negotium sobolis procreandæ agresi sunt;

Qui igitur bene nati omnibus naturæ dotibus, muneribusque abunde fruuntur; qui male, illis eos destitutos esse contingit, atque infortunatos, & in Physiognomia Aristotelis legisse recordor non solum ipsos, verum etiam & cum ipsis versantes tali fortunæ munere imminutos mutilatosque effici;

Nec immerito in Mosaica Lege ad mulieres menstruatas accedere non licere cautum erat; nam quamuis summus rerum omnium Opifex clementissimus sit, tamen in *leuit. 2.*

Exod. tertiam, & quartam generationem (vt Moyses testatur) punit, cum parentum malitia interdum vsque ad quartam transeat generationem.

l. post. diui C. ad l. Iul maiest. Priuantur enim filij hereditate paterna, sicut & Ciuili lege cauetur, quod rebellium, & omnium, qui lesæ maiestatis crimen commiserint, bona applicentur fisco; vnde & filij bonis remanent priuati.

Aliquando etiam ex malo paterno sanguine filius inficitur, & aliquando ex patris bonitate fit benedictione plenus, ac mundus. Hinc sępius accidit, quod propter parentes Deus filijs fauet, & quia filius malo parentum inficitur sanguine, hinc accessus ad menstruatam mulierem, ne proles inficiatur, prohibetur.

Sed ad propositum reuertamur tale menstruum mirum homines cruciatibus affligit, pilorum affluuium, comitialem morbum, aliaque elephanticorum vitia infert, quod postremo ad ipsas mulieres spectat menstruo retento ob illam putridam, venenosamque materiam terribilia sympto mata oriuntur, nempe intensissimi capitis dolores, nam eleuatis ab vtero vaporibus, qui cerebri meatus replentes, & ipsam, & pelliculas suas extendunt, & dolorem concreant vna simul concurrẽte plenitudine capitis ex superfluitatibus in eo genitis, ob eius naturalem facultatem concoctricem factam imbecillem, vaporibus ab vtero ipsum petentibus. Adsunt interdum horrores ad omnia corporis membra ob tales vapores, quos vniuersis musculis vterus consentit, qui cum quandoque sint acuti eos pungunt, propulsantque eorum calorem ad intra, & rigent calore depauperato.

Si accidit etiam feminis corruptela Apnea Hysteros, & & ipsæ melancolicæ efficiuntur, & falsis plerumque tenentur imaginationibus, & falsis cogitationibus, quoniam vapores, qui ab vtero ad caput eleuantur cum turbidi sint, & syluestres spiritibus animalibus, quibus commiscentur eos turbidos reddunt, factosque syluestres virtuti animali. Quo fit, vt ea iudicent esse quod non est, & non esse quod

est:

est: propterea Dęmoniacę licet non sint, esse videntur; interdum etiam ob illam putridam, venenosamq; materiam ipsorum corpora malis genijs vexantur, nam mali genij mirum immodum in talibus locis habitare lætantur, gaudentque, nec non in putridis, venenosisque corporibus; ideo tale infortunium potius fœminis ob caloris imminutionem, quam masculis accidit, qui natura fœminis calidiores sunt, & magis à malis genijs vexantur tempore plenilunij quam alijs temporibus, sicut Diuus Chrysostomus, & D. Hyeronimus dixere, ratio duplex esse potest, prima ad hoc vt Dei creaturam nempè Lunam vittuperent, infamentquæ; secunda physica est ratio, quia cum Dęmones operari non posśint nisi adhibitis naturalibus virtutibus, ideo in operando corporum aptitudines ad effectus intentos considerant; patet enim cerebrum omnium corporis partium humidisśimum esse sicut Aristoteles dicebat, & ideo Lunæ operationibus maxime subijciuntur (sicut superius dictum est) quæ ex sui proprietate humorem habet mouere, & cum in cerebro animales vires perficiantur, & ideo dęmones secundum Lunæ augumenta hominis phantasiam perturbant, quia cerebrum ad hoc disposi- tum esse considerant: hæc Diuus Thomas asserebat, ego ipsi astipulor, & alteram reddam rationem, nam tunc Luna ex Ptholemæo humidisśima est, ideo corporis humores, atque putredines coaceruantur, atque turgent, mali genij (vt superius dictum est) ob loci aptitudinem illuc redeunt, infestantque, saltem si non discedunt ob inopiam humorum sopiti remanent; hac igitur de causa ego tales curari posse iudicarem primo diuino numine inuocato, deinde medicamentis congruentibus, beneque paratis (sicut superius dixi) existimarem enim causa ablata effectum auferri, vnde putredine, humoreque malo ablato auferri & malos genios, sed hæc alibi (Deo dante) dicentur.

hom. 8. in Mat. in medio in fine com. ad cap. 4. Matth. lib. de somno & vigi. cap. 5 cap. 4. huius. 1. part. quæst. 115 art. 5. lib. 1. quadr. tex. & com. 30. cap. 3. 5. de simplic. medic. facul. c. 14. 5. aph. 28.

Medicamenta, quæ menses cient sunt infinita, & primo anastomatica. Hippocrates tamen dicebat suffitus aromatum muliebria ducit, nam vi sua aperit vasorum

fines

fines obſeruatos, extenuatque humorum craſsitudinem, & obſtructiones incidendo remouet, ſunt quæ à tota ſubſtantia veluti pardi daxter teſtis, qui eſt mirabilis, Gagatis ſuffitus ſed magis ſuccini menſtrua prouocat;

Ego ad menſtrui ſiſtendi profluuium, vrticæ ſuccum bis, vel ter in vulua iniectum mirifice prodeſſe
5. apho. expertus ſum, Hippocrates tamen quam
50. maximam ad mammas apponebat cucurbitulam.

FINIS PRIMI LIBRI.





IO. FRANCISCI SPINAE PHILOSOPHI, ET MEDICI RIPANI.

De Hominis Procreatione.

LIBER SECVNDVS.

De *Matrimonio. Cap. I.*



PVLCHERRIMA, diuinaq; omnia, quę esse putamus, in immutabilitate quadam consistere nemo dubitabit, ita vt existant sempiterna; Hominum igitur progenies ob æternitatem, durabilitatemque miram acquirit præstantiam, & quamuis fieri nequeat vt id omnino, & perfectè consequatur, aliquo tamen modo participare non est impossibile, vnde procreationes, & viuentium ortus æternitate immutabili continuantur, vt quæ in singulari substantia conseruari non possint, specie saltem persistant, & cum

& cum vnumquodque indiuiduum mortale, & caducum se sentiat generationis beneficio sibi simile producit, & in suum locum ponere censet, vt renouatum quodammodo si non numero, specie saltem perpetuum fiat, vnde vt vnaquæque species perpetuo saluari posset, cunctis animantibus quædam libido propagandi à natura fuit constituta, necessariaque fuit maris, & fœminæ coniunctio, atq; societas, vt ex Aristotele colligitur.

1. Pol. 3.

Homo tamen præcipuè christianus cum secundum rationem, non secundum sensum duci debeat; ipsaq; libido (teste Aristotele) sensum sequatur; ideo ne brutorum more ducatur à Deo Optimo Maximo matrimoniali lege fuit fulcitus; matrimonium autem nihil aliud est (teste Gratiano) nisi viri, & mulieris coniunctio indiuiduam vitæ consuetudinem continens; eandemq; opinionem habuit D. Thomas. A Deo (vt dixi) institutum fuit, tum ad sobolem procreandam, tum etiam ad concupiscentiæ remedium, atque euitandos illicitos, vagosque concubitus; quod & ipse Aristoteles dixisse videtur, naturę rationem sequutus.

lib. 7. c. 9. ethic. cusa 27. quæst 2. in prin. 3. par. sum. q. 44. per totam item 4. dist. 27 lib. 2 cœ comm. 1 prouer. cap. 6.

Ideò cuiq; documentum erit saluberrimum, vt quoadusque fragilitas patitur humana ab omni impudicitia, & maximè à complexu, coniunctioneque earum, quæ ex Dei institutione legitime sunt matrimonio iunctę, maius enim peccatum esse cum desponsata concubere, quam Virginem deflorare asserebat Doctor Angelicus; vt non immerito.

2., 2. q. 154. ar. 12.

Sponsata occursus mulieris Dæmonis arma:
Parthorum tanquam dira sagitta ferit.

Arx quidem tutissima humano generi matrimonium est, hoc naturalem esse amorem Auerroes asseuerauit, atque sobolis propagandæ insitum ardorem, ac propensionem ipsius esse fidam stationem;

lib. 8. ethico. com. 9.

Non male suæ tranquillitati is consuluerit, qui huic se dediderit, quando adoleuit ætas, virileq; sit consequuta robur; inconsulte enim faciunt, immaturè, intempestiueq;

tale

tale quidpiam aggredientes non discussa naturæ firmitate vna cum virium exploratione. Nonnullos recordor impuberes quasi vel inconsulta temeritate, vel parentum impulsu, qui quæstui dotibus, atque nummis opime inhiant subijsse hoc iugum: recordor etiam precipuè Ripętranson non adhuc absoluto anni curriculo elumbatos, omniq; succo vitali exaustos fuisse.

Vir in Mathematicis excellentissimus D. Petrus Antonius Cataldus Bononiensis amicus meus semper mihi prędicabat, Masculum vxorem ducere non debere nisi trigesimo transacto anno, & Iuuenculam ante vigesimum secundum annum in matrimonium collocari non debere, quod quidem dictum si rectè cõsiderare volumus verissimum est; licet vigesimoprimo anno sperma satis fœcundum sit, ac ad generationem potens, vt Galenus dicebat, tamen iuuenes, puellæque (Venere dominante) amore exarsi, experientia deficiente, atque iudicio, tanquam bruta ducuntur, vnde supradicta causa mortes, & ægritudines oriuntur; *lib. 2. c. 1. de sanitate tuenda.*

Videmus enim ex nimio amplexu, atque concubitu dissipari spiritus, distemperari humores, hincq; infirmitates suboriri, non tantum ex diminuta, superfluaq;, vel alterata materia, sed sæpius[quia corpus ab animo regitur male, si enim ex nimia veneris indulgentia spiritus dissipantur, & ægrum fit corpus, culpa non est corporis, sed animi non frænantis venerem: sic etiam si corpus superfluo pascatur cibo, vnde superflui generantur humores, culpa est animi, qui ingluuiem non frænat: sed si animus tanquam dux appetitus inferiores, & vires bene moderetur, ac omnes indebitos hostes subiectos teneat, si aliqua tristitia ex pugna, aut labore reportatur, non nocebit, sed statim vertetur in gaudium. Nam sicut Deus diligentibus omnia in bonum cooperatur, ita dissidentibus à Deo nocent omnia, in malum omnia vergunt.

Hac vero tempestate rari sapientes, & maior hominum pars sensualem ducit vitam (teste D. Thoma) non immerito igitur si adolescentes, adolescentulęque inordinatam *1. part. q. 115. art. 4.*

I sequan-

ſequantur vitam, imminent ipſis vanæ impenſæ in rebus iocoſis, imminent & adulteria, præcipue cum fœminæ virgunculęque eodem tempore potiſsimum cuſtodiri debeant, cum ad rem veneream mirum immodum incitentur, tunc incipiẽtes ſemen afferre, ſicut ex Ariſtotele habemus, cuius rei cauſa extat prouerbium periculoſa merx virgo nubilis maturaque viro, ideo non immerito dicere poſſumus.

lib. 2. c. 1. de na. animal.

Ægrè formoſam poteris ſeruare Puellam
Nunc prece, nunc auro forma petita ruit.

l. gener. C. de re-uocat. donat. quæſt 6

Iuris verò Doctor Clariſsimus Franciſcus Ripa dicebat, ſunt mulieres, quæ dant, quæ negant, gaudent tamen eſſe rogatæ.

Documenta igitur ad tanti mali cautelam conabor docere; debet primum, qui hoc iugum ſubire voluerit metiri, explorareq; vires, ac lumbos quid ipſi valeant, recuſentq; ferre; puellæ ex honeſta familia non tantum ad dotem (licet hodie ad hoc magis reſpiciatur) & ad formoſam, quàm ad pudicam, verecundam, honeſtam, beneque moratam vitam reſpiciunt, cum

Quid ſidis forma populat quam morbus, & ætas,
Multis cauſa mali candida forma fuit:
Hac quam cernis anum, quondam formoſa puella
Extitit: an neſcis quam breuis forma bonum eſt?

lib. 1. de arte amandi

Et Ouidius.

Forma bonum fragile eſt quantumq; accedit ad annos
Et minor, & ſpatio carpitur illa ſuo,
Nec ſemper viola, nec ſemper lilia florent
Et riget amiſſa ſpina relicta roſa.
Et tibi iam venient cani formoſe capilli,
Iam venient rugæ, quæ tibi corpus arent

Documentum erit.

Sit formoſa aliјs vxor, tibi ſit bona: neſcis
Quam noceat caſta forma pudicitiæ.

Mulie-

Mulieres omnes virgunculæ, & matronę à Plauto edifcere debent, cuius verba ab ipsis aureis literis insculpi, atq; memoriæ mandari debent; Plautus igitur in persona Alcumenæ sic dicebat. Non ego mihi dotem duco esse, quę dos dicitur, sed pudicitiam, & pudorem, & sedatum cupidinem: Dei metum parentum amorem, & cognatum; concordiam virum, morigera, atque vt munifica sim bonis, præsim probis: quod etiam Comicus asserebat (si bene morata dotata est satis) hoc idem Aristoteles fatetur. *lib. 2. c. 1. econ.*

Non solum virgungulis, verum etiam & coniugatis pulchrum esset domi esse, nec per vias, atque plateas deambulare, nam ex hoc efficitur, vt ad extraneos, & illicitos mores domesticis corruptis sensim consuescant pudorem exuere, ac pudicitiam nundinari, venalemq; habere, sic vt eam facillime patiantur expugnari, aut non magnopere callido pudicitiæ, virginitatisq; insidiatori obsistant;

Domi igitur maneant, sicut ex Propheta videtur colligi. Vxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ; merito igitur Imperator eas priuat ab omnibus officijs ciuilibus, vel publicis, & ideo Iudices esse non possunt, nec magistratum gerere, nec postulare, nec pro alio intervenire, nec procuratrices existere. *Psa. 127 l. fœmi. ff. de re. iur.*

Sed altius exordium repetamus in connubiali statu adeundo multa sunt consideranda; animi qualitates, corpus incolume, ætas nempè, quod ad generationem sit prona, eruditio, forma, consanguinei, & dos:

Primo animi qualitates dixi, nã hic est prçcipuus scopus siq; omnia alia adsint, & sit stulta, mecha, loquax, contentiosa, perfida, furax, ebria, prodiga, quid reliqua proderunt? & cum sapiente melius est habitare in terra deserta, quam cum muliere rixosa, & iracunda, & hæ trifariam sunt vtiles, scilicet ad domum gubernandam, ad concordiam cum coniuge, & ad filiorum procreationem, bonamque educationem, & cum mulier fortitudine destituatur, maxima opus habet prudentia; post animi tranquillitatem, quoniam subesse merito debet, & etiam esse memor, atq; *Salom. prou. 21*

ingeniosa; hæc enim ad familiares res curandas.

Rursus causas repetamus in tria domus distribuitur, res, familiam, & filios, & coniugem, familiæ imperat, prudentia igitur opus est; res tractat, indiget memoria, & ingenio; coniugi paret, tranquilla igitur sit oportet vt concordia maneat; in viro modesto etiam hæ virtutes esse debent; postea connubij finem considerabimus, nempè fœcunditatem, ne orbata remaneat domus, immo in Mosaica lege steriles à Deo maledictæ erant, atque spernabantur; nec ita scrupulosius familia debet inquiri, nam, veluti lege sancitum est, fœminæ nuptę clarissimis personis clarissimarum feminarum appellatione continẽtur, non item senatorum filiæ: fœminis enim dignitatem clarissimam viri tribuunt, parentes verò donec plebeis fuerint copulatæ, & quæ separatæ sunt à clarissimis, tam diù clarissimæ manent, quamdiù alijs inferioris gradus non nupserint: alias derelinquo cõsiderationes tanquã minus necessarias.

l. fœmin. ff. de senat.

Sunt & prouerbia, quorum meminisse hoc in loco non pigebit. Primum est duo esse præcipua, ex quibus hominis vita dignoscitur, nuptiæ, & mors; secundum, nuptam ex odore nocte prima coniugem velut capram herbas agnoscere, ex illa enim nocte cognoscit an parere, vel dominare debet, cum dicere possimus.

Quam miserum est, stultus si tractet seruus habenas,
Imperet aut vxor ambitiosa viro.

Tertium quales velis filios, talem accipe vxorem; Quartum melius est notam vxorem cum vna nota ducere, quam ignotam cum nulla: quintum in equis emendis, & vxore ducenda claudere oportet oculos, & Deo nos commendare: sextum vxorem qui non habet facile verberat; septimum vxorem seu duxeris, seu non, pœnitebit; octauũ qui impudicam duxerit vxorem nunquam immunis est à molestia, ac pœna; hæc & infinita alia à viro clarissimo edidici, quæ gratia breuitatis silentio inuoluo.

Postremo tres errores referam, qui in vxore ducenda committuntur. Primus error est, quod magna homi-

num

num pars hoc vitæ genus, nulla vitæ deliberatione inconsideratè, atq; præcipitanter agrediuntur, eaque ætate, quę rei huic minus est apta; secundus error est, quo nonnulli se matrimonio serius, ac minus tempestiue se abdicant, atq; deflorida ętate, nec non ingrauescentibus annis hoc subeunt onus. Recordor iuuenculas, præcipue Ripętranson hac tempestate duodecimum, vel decimum tertium annum agentes senescentibus 70. annorum fuisse in matrimonium collocatas: & iuuenem doti inhiantem aniculam à naturali societate alienam ducere; vltimus error, quod dispari coniugio substineant alligari morbidæ sanus, &c. Ideo in coniugio adeundo omnia maturè agenda, hoc enim iugum si aliquis subit, nisi per mortem liberari potest, leges nostrę diuortiū non permittunt, tantūmodo thori separationē; respiciant deniq; ad immaturitatē, nam non satis valido corpore in palestra nō subsistunt, sed post alterū insultū conuelli solent: nec legitimū nubēdi tēpus procrastinari debemus, ne inanē degamus vitā;, atq; illicito polluamus connubio.

c. porro ext. de diuort. c. plerūque ext. de dona. inter vi. & vxo.

De *Maris, & Fœminæ concubitu*. *Cap. 11.*

PRIMVS conceptus motus est amor viri in mulierem, & mulieris in virum cum vnione in genitalibus, vnde vir tanquam agens, mulier vero patiens relatiui vim habent, cum in concubitu mutua sit relatio, eoque vnius semen in alterum refertur, & vtrumque alterius, & antecedens viri luxuriam, vt per Iob colligitur primam radicem in lumbis habet, & mulieris in vmbilico, vnde dicebat virtus eius in lumbis eius, & fortitudo eius in vmbilico ventris eius, & Euangelium asserebat, sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris. Antequam ad conceptionem deueniatur in seminis effusione duo occurrunt ridiculæ questiones, prima an opus sit in primo concubitu omentum, seu claustrum virginale frangi, omentum igitur est membranosum, & carnosum ante os vteri à natura excogitatum, ne aliquod extrinsecum noxium vterum offenderet.

fenderet, in medio cuius foramen eſt, vt & virgines, & fœminæ ſuis expurgarentur menſibus, dico ego non opus eſſe frangi, dummodo planè, placideque peragatur actio; apud Neapolitanos tamen opus eſt, quia vt refert Arnaldus de Villa noua, quilibet vxorem capiens virginem ea nocte, qua primo cum ea concubat, eam ſubuculam indui facit, & ſi in veneris actu ſanguinolenta appareat pro virgine, & non polluta eam habet, & mane viri, mulieriſque parentibus defertur ſubucula ita ſanguinolenta, ſuper qua ſibi dona faciunt, & ſubucula ipſa in magna habetur cuſtodia, quæ ſi cruenta non apparet virgo eſſe non creditur, quare à viro aliquando expellitur: ſecunda difficultas eſt, an mulier intra vel extra vaſa ſemen emittat; Arabes omnes dicunt intra vterum, quibus videtur aſſentire Galenus, hac forſan de cauſa Arabes aſſerebant prægnantes mulieres nullo modo ſemen emittere poſſe. Ariſtoteles tamen extra emittere fatetur, cuius experientia videtur fauere, immo licet fœmina vtero extumeſcat in ſe minis emiſſione etiam maximam recipit delectationem; ſicut & equa; dicebat enim alibi Ariſtoteles, quod mulier, & equa maximè animalium grauidæ coitum patiantur; cętera vbi grauida fuerint fugiunt mares; ſupradictam Ariſtotelis opinionem defendit & Fernelius. Statuendum igitur erit ex communi Medicorum ſententia, quod à fœmina eiaculatur ſemen non modo in ceruicem, ſed etiam in fundum vteri per apices ideſt per cornua vteri: ſed quæret aliquis dum fœminæ vtero gerunt, ſemen illud, quo eiaculatur; dico quod eiaculatum in ceruicem egreditur, dummodo non fiat ſuperfetatio: quod vero eiaculatur per cornua in fundum vteri reſidet vſque ad tempus partus circa tunicam allantoidem, ſeu inteſtinalem.

lib. 3. c. 6. breu.

lib 2. de gen. an. cap. 4.

lib. 7. c. 4. de na tur. an.

Poſt ſeminis effuſionem an ſtatim fiat conceptio eſt dubitandum, Aſtrologorum nonnulli dixere ſemine effuſo ſtatim fieri conceptionem, immo dũ horoſcopi gradum iuſtificant, in hora qua inuenitur Luna in gradibus, & ſigno quod horoſcopus eſt, aſſerunt eſſe caſus ſpermatis, alij verò

aliter ſenſere, inter quos fuit Ioannes Baptiſta Carellus in introductione ſuarum Ephemeridum dicendo, non quando ſemen effunditur conceptionem fieri, ſed aliquo temporis interuallo, & dum embrionis forma incipit procreari, tunc eſſe locum Lunæ ſumendum, hanc teneo opinionem, cui etiam Galenus videtur aſtipulari cum omnibus Medicis, nec Philoſophus repugnat, nam alicubi fatetur ſeptimo poſt die affluxiones fieri non poſſe; ſed ectroſmos, & alibi ſcriptum reliquit ſemen in vtero inſinuatum, diuq; contentum membrana obduci; ex his igitur patet in vtero ſemen contineri, antequam conceptio fiat: hoc iacto fundamento, non omnibus in mulieribus ęquale concipiendi tempus eſſe poteſt, habita temporis, loci, complexionis, exiſtentiæ, & Cęli ratione: vt igitur recta fiat conceptio ablatis ſterilitatis cauſis ſicut infra dicemus, quæ vel à maſculo vel à fęmina dependent, hinc tantumodo dicemus, referreq; conabimur illas, quæ in amplexu, & ſtatim poſt ipſum occurrunt; primo igitur ſemen fit fœcundum recte affatimque emiſſum, in concipiendo mulier non omnino floribus plena, neque omnino vacua eſſe debet, ſed munda nouiter; ita vt hyſtera aliquantulum ſit munda, non omnino humida, vel ſicca, ſicut ex Hippocrate colligitur. Quæcunq; frigidos, & ſpiſſos vteros habent non concipiunt, extinguitur enim in eis genitura, & quæcunque ſiccos magis, & adurentes, nam ex defectu alimenti corrumpitur ſemen; quæcunque vero ex vtriuſque mediocrem habent temperaturam, eæ fœcundę ſunt: hac igitur de cauſa ſcortæ, quæ crebrius ſe viris ſubijciunt, atque identidem ſubagitari patiuntur, non concipiunt ob maximam ſeminum quantitatem, varietatemque ipſorum, vuluæ etiam humidiſsimæ efficiuntur.

lib. 14. de vſu par. c. 10

lib. 7. de hiſt. an. c. 3. e 7.

5. aph. 62.

Remedia, quæ & flatus diſcutiunt, & obducta loca denſa fuligine obſtergunt, atq; illa, vt exculta noualia præparant ſementi, ſunt nux myriſtica, aliter muſcata, xylocaſia, agallochum, cynamomum, ſeſeli Maſsilenſe Zeduarium, ſaluia, diximus agallochum nũcupatum lignum aloes,

ormi-

orminum, iridis radix, dictamum calamitæ species helenium, parthenium, laserpitij succus, & infinita alia; vt minus mucosa, ac lubrica; vtque tenacius inhereat semen remedia sunt styrax, calamita succini, seu species electri, rhois, vel sumach eboris ramenta, semen myrti, cornu ceruinum, thus, rosæ rubræ, galbulæ, blattæ, byzantinę, caryophillata, masticheʼ, pentaphyllon, & similia: Aetius commendat mercurialem cum castoreo, aut. absinthium tribus, quatuorue diebus consueto mensium tempore.

lib. 16. cap. 32.

Nouiter coiſſe masculus, nec fœmina debent, nec frequens coitus ad generationem est vtilis, immo & toto corpori noxius. Quamobrem cum in coitu maxima spirituum resolutio fiat ab illius excessu magnopere (præsertim literarum studiosis) cauendum est: ad cautelam cum Galeno dico, quod venereorum vsus contendi potest si tantum interualli in eorum vsu adhibeatur, vt neque aliqua sentiatur resolutio, & ipse homo quodammodo se ipso factus leuior, ac melius videatur spirare; hoc vnum experimento, & ratione addiderim tutius (vt superius dictum est) esse raro, quam frequenter coire, quoniam præter multa, & magna incommoda, quæ affert nimius amplexus, illud maximum est quod cerebrum, & cor debilitat, totumque corpus exiccat, propterea quod de substãtia postremi alimenti euacuat, veluti superius dixi, tum etiam vt dictũ est, quod propter voluptatem, quæ maxima est, nimia spirituum, & natiui caloris dissolutio fit, & ventriculus præcipue lęditur, sicut eius opportuna abstinentia iuuatur, sed ad propositum reuertamur.

art. me. cap. 86.

lib. 1. c.

Exercitationem validam, diuturnamq; tanquam maribus, atque fœmellis vtilem laudo, nam seminis materiam, quæ per corpus totum est sparsa humido aqueo absumpto, solidiorem, ac puriorem efficit, vt post modum in testibus melius concoqnatur, semen enim ex præcipuis partibus vt corde, cerebro, & iecore deciditur: labor etiam gignit somnos profundiores, ex quibus coctio melior celebratur vbique; ex coctione autem semen densius, atq; fęcundius euadit

euadit, ambo autem ſemen emittant, vt recte miſceatur, & neceſſarium eſt, vt mas cum fœmina non citra oblectationem coniugatur vt ab vtroque fiat eiaculatio ſeminis fœcundi partim quidem in vtero partim in vteri ceruicem & cum ad exitus punctum peruenerit nates pro viribus eleuatæ teneantur ſtudioſe circo illam vteri partem procedendo, in qua conceptum fieri deſideratur.

Nec eſt ſpernenda hora opportuna pro corporis ſalute ad tale opus exercendum, enim vero poſtquam cibus concoctus eſt, non tamen fames adeſt, coeundum eſt vt inde etiam ſomnus, aut quies ſequatur, quæ laxitudinem illam ex coitu contractam tollat, aut ſaltem leniat. Potius (ſi errandum eſt) ſuper cibum quam ſupra nimiam alimenti indigentiam (vt Galenus docet) peccandum eſt. *Gal. de tuenda ſanit. 6.*

Semper alicuius formoſi memorando, nam habemus à ſapientibus animæ paſsiones, quæ ſequuntur phantaſiam, quando vehementiſsimæ inexiſtunt, non ſolum proprium corpus immutare poſſe, verum etiam ad alienum rapi, atq; tranſcendere, ita vt admirabiles inde impreſsiones producantur in elementis, rebuſq; extrinſecis, ſicq; etiam corporis, vel animi quoſdam morbos auferre, aut inferre poſſunt; cum proprij corporis alterationis cauſa non parum efficax animæ paſsiones exiſtant. Sic anima fortiter eleuata, & accenſa immaginatione vehementi non ſolum in proprium, verum etiam alienum corpus ſanitatē, vel ægritudinem immittit; ſic qui à rabido cane morſus incidit in rabiem, & canum figuræ in ipſius vrinæ ſolent apparere, ſic ex monſtruoſis imaginibus prægnantium multæ generationes prodeunt monſtruoſæ; cuius exemplum ab vxore Martini de Materia Ripætranſon ſuppeditat; hęc enim tēpore bacchanalium marito perſonato, ſecūq; turpiſsimum monſtrum ducente; effecta prægnans, ac monſtri effigiem in Idęa, & phantaſia concipiens, partus tempore ſimillimum peperit monſtrum, quod per aliquot dies vixit.

Pregnantes etiam vinum, quod auidiſsimè cupiunt, vehementer excogitant, & vehemens excogitatio ſpiritus

mouet interiores, atq; in his excogitatæ rei pingit imaginem, isti sanguinem mouent, similiter, & in mollissima fętus materia vini imaginem exprimunt, cuius exempla non deficiunt Ripætranson, sic etiam ex leporis insperato occursu, obtutuue, aut desiderio pulpamenti eius infantes pariunt labello supremo bifido. Eadem imaginatio potest etiam esse causa, vt filij assimilentur patri, vel patruô, nam veluti dicebat Iason super primo infortiat: adde quod alibi dicit Iac. Butr. in l. fin. c. de Carb. edict., quod filij, qui assimilantur marito, non sunt legitimi, ratio quia quando mulieres adulterant propter timorem viri habent semper cor ad maritum, & ex illa imaginatione generant similem marito; tamen hoc non semper verum est, nam ex amore, & beneuolentia vxoris ad maritum filij possunt oriri similes Patri; Astrologi tamen de similitudine nati ad parentes duobus modis iudicant, veluti habetur ex Albubatre, & Schon; primo ex positu planetarum, qui parentes significant in horoscopo, patri enim Sol in diurna, Saturnus in nocturna genitura in horoscopi cuspide similes facit; Sol enim Patrem significat de die, Saturnus vero de nocte: Matri verò in diurna genesi Venus similes facit, & Luna in nocturna; Secundo ex ascendentis signi facie in horoscopo.

l. Gallus de lib. & Post.

lib. 1. c. 5. de iudic.

Hæc etiam vehemens imaginatio non in hominibus solum, verum etiam in brutis animantibus inspicere possumus, nam Gallinarum, Columbarum, Pauonum, aliarumq; volucrum cubantium imaginariæ vires plumis, pennisq; imprimunt colorem, vnde nigras producimus columbas in cubantium habitaculis nigros linteos circumponẽtes, & albi pauones oriuntur, si albis linteis vsi fuerimus.

Sed ad propositum reuertamur, dictum fuit superius quomodo mulier in concubitu se habere debeat, vt sperma per longum vteri collum bene discurrat, & vt longitudinis laudabilis formam fœtus recipiat, dummodo aliter venereus actus exerceatur, non solum erit ineptus, verum etiam, & sacris legibus detestatus, sunt enim nonnulli, qui brutorum more dulcedine solum allecti hũc actum maxima exercent

infamia,

infamia, nempe cum præter vſum, ac commoditatem veneris exercendæ vir ſupinus, mulier prona decumbit, hiq; mente orbati non cognoſcunt ex inuerſo illo decubitu quantum ſibi detrimenti afferatur, atq; valetudinis diſpendij, quandoq; hernioſi efficiuntur, prȩſertim cum deſtituto, vel oppleto cibis corpore inuſitata hac inconceſſaue venere vtuntur.

Hinc Hermaphroditi, ſeu Androgini emergunt: quȩ vox à Venere, & Mercurio nomen ſortita eſt; completo actu confeſtim mulier ſuper latus illud iaceat, in quo ſemen recepit, quieſcatq; multum, vuluam intrinſecus non abſtergendo, nec ipſius motum excitando, nec lotium effundendo, dormiat ad minus ſuper illum latus per tres horas, & ſi dormire nequeat, ſic calida iaceat, meliuſq; foret ſi tota ſuccumberet die; quando de lecto ſurget, plane, ſuauiterq; vadat, omniaq; ſic faciat, & à curſu abſtineat:

Poſt ſpermatis eiaculationem ſi ſtatim erigitur fœmina multoties fruſtatur conceptus, ſic etiam ſi magnum fecerit ſaltum, ſi cadat, ſi percuſsionem aliquam habebit, ſi aliquem furorem, timoremq; ſubitum vna cum terrore vehementi concipiet; à coreis caueat, ipſi etiam clamor, fletuſq; nocent, fortis ſternutatio: ideo dicitur quod ſternutamentum in conceptu, & oſcitatio in partu noxia ſunt ex Plinio; ſternutare enim effluxum eius quod adhȩſurum erat eſt argumentum, horribiliter acutorum olfactus, vt extinctæ lucernæ, candelȩq; fumus, nimis cibus, ac potus: hȩc & ſimilia hominis generationem poſſunt impedire; ideò cibus debet eſſe ſanus, bonus, beneq; coctus, & cooperta poſt prandium dormiat, & per ſeptem ad minus dies non coeat, ne cellula reſeretur.

Extat Hippocratis ſententia in latere dextro vteri gigni *5. aph.*
maſculum in ſiniſtro vero fȩminam; ego verò non omnem *48.*
vim lateri tribuerem, ſed teſtibus ipſis, quia ex dextro maſculus, ex ſiniſtro verò fœmina procreatur, id etiam illis accidit, qui vnum habent teſticulum, qui ſi dexter fuerit maſculus procreatur, ſi ſiniſter, fȩmina;

Hoc idē Nurcenſes obſeruant in ſuibus procreandis, nam vt maſculi oriãntur ſiniſtrum ſuis teſtem amputant, atque diuellunt. Animaduertendum hoc in loco quod conceptionis tempore primum ſumitur genituræ principium, quod in Aſtrologia vtiliſsimum eſſet, licet non omnibus ſed ſapientibus Aſtrologis notum, interdum enim mortales ægritudines contingunt, atq; caſus, qui in genitura non reperiuntur, Aſtrologos verò perpendentes Cœlum in hora genituræ non dicam nihil, ſed aliquid minimum inuenire ego expertus ſum; nam geneſim vidi à viro in tali ſcientia verſatiſsimo compactam, atque per accidentia perpolitam, & cum in quodam determinato tēpore natus mortalem paſſus eſſet ſaturniam ægritudinem perdurantem vnius anni ſpatio, in iuſtificatione (cum nulla alia reperiretur cauſa) aſſertus fuit id accidere ex aſcendente ad Saturni ſeſtilem, qui in virgine erat, & ob aſcentionum longarum ſigna aſpectum illum in ęquinoctiali locum quadrati ſortiri; ego vero conceptionis hora perſpecta, Saturnum retrogradum per decimam nonam verſus peragrantem inueni, Lunam verò in horoſcopo ſcorpij ſignum tenētem eodem tempore quo natus illam lethalem diuturnãq; infirmitatē paſſus eſt præciſe Lunam ad Saturni retrogradi tetragonum peruenientem conſpexi; in Geneſi verò Sol Apheta eodem tempore ad Iouis ſextilem accelerabat: Annua reuolutio, atq; profectiones non malæ erant, hac igitur de cauſa liber.

Hoc in loco limites tranſcendere fas erit, & in gratiam viri in iuribus, & Mathematicis clariſsimi D. Franciſci Lamponi amici mei aliqua alia de conceptione enarrare, quæ non minus delectabilia, quam vtilia erunt illis reſpondendo, qui Aſtrologiam denigrare, & ruere conantur; ſed tales non vereantur; quoniam alij ſermones, & perſuaſiones, & libri, & aliæ leguntur ſcientiæ vltra Aſtrologiam, quoniam ad vniuerſi decus eſt, quod mundus varietatibus ſit plenus, & ideo reperiuntur homines verarum ſcientiarum cultores, nonnulli autem deſtructiores, qui perſuaſiones augent.

nes augent, & sophismata; miror tamen cum nunquam huius naturalis scientiæ principia degustauerint, audeant ea contaminare verbis, & inanes quidem, futilissimasque contra eam afferentes rationes, à sublimi in artibus suis iudicio cadere, ab omnibusq; derideri non erubescunt.

Sed vt ad propositum de conceptione sermonem deueniamus, omnes fere Astrologi ad argumenta aduersariorum dicentium natos in eadem hora gemellos easdem debere qualitates habere, esse eiusdem temperamenti, & similia, respondent post vnius ortum, antequam alter nascatur dari tempus intermedium, quod est verissimum, & ego Philosophorum indutus doctrina probo eadē ratione, quæ in duobus contrarijs motibus affertur, nam inter duos contrarios motus est quies media, sicut omnes Philosophi affirmant, sic etiam inter agens, & patiens est quies, cum omne agens in agendo repatiatur ex Aristotele & in illa passione est quies intermedia, & iterum postmodum agens insurgit in passum, & antequam passum patiatur, moram inter iacentem habere oportet, & postea agens victoriam consequitur, motum, & actionem persequendo, & hac agitatione, & mutua passione duæ mediæ quietes accidunt, & in hoc ordine sunt motus, ac vires parturientiū mulierum, quando enim filios nituntur emittere per expulsiuam virtutem, in ea actione etiam repatiuntur, & sequitur quies intermedia propter refracti agentis lassitudinem, & postmodum iterum agit, quamobrem propter difficultatem partus, & propter virtutis mulieris debilitatem sequitur mora interiacens inter ortum vnius nati, & genituram alterius: præterea propter loci angustiam ab vnò loco simul exire non possunt, ac etiam quia in diuersis vteri partibus fuere; quare vnum post alium cum quiete intermedia nasci oportet, & sic amborum ascendentia erunt diuersa, quia contingere posset, vt vnius genitura sit versus finem vnius signi, & alterius ortus in sequentis signi principio, vbi signorum Domini erunt diuersi, & etiam termini difformes, & omnes domus æquādæ difformes, & planetæ in diuersas

lib 1. de gene. & corrupt. tex.

ruent

ruent Cœli ſedes, quare omnia erunt mutata, ideoq; natorum mores, & omnes alij effectus mutabuntur.

Et licet hæc reſponſio omnem tollat difficultatem, ego verò aliam non minoris conſiderationis afferam, quæ ex Ptholemęo decerpta eſt, aſſerit enim Aſtrologorum princeps quando hora caſus ſeminis Sol, & Luna fuerint in ſignis duorum corporum, & aſcendens fuerit ſignū bicorporeum, ſemen diuiditur, & generantur duo qui gubernantur, & reguntur à diſpoſitoribus diuerſis talium ſignorum, Ptholemęus citato multis exemplis ſe explicare quærit, inter quæ vnum referam Caſtoris, Pollucis, & Helenę, quorum Caſtor optimus fuerit, Pollux peſsimus, Helena pulcherrima; aſſerit Ptholemęus id accidere ex dominio Saturni, Iouis, & Veneris; ſed ſi altius inſpicere volumus dico geminorum conceptionem non eodem fieri tempore, nam ſi ſemen in vtero diuiditur, atq; in partem dextram, & ſiniſtram transfunditur; quis negabit ex Philoſophorum Medicorum, & Aſtrologorum ſtatutis conceptionem fieri citius in parte dextra, quam ſiniſtra? aſſerunt namq; omnes Medici vteri partem dextram calidiorem eſſe, ideò ibi maſculos procreari, in ſiniſtra verò ob caloris diminutionem fœmellas; at maſculi conceptio, motus & partus citius fiunt ex Hippocrate, quam fęminę; hoc idem clariſsimis verbis etiam à Philoſopho percipitur, ergo aſſerenter affirmare poſſumus citius in parte dextra conceptionem fieri, quam ſiniſtra: & geminorum conceptionis tempora non eſſe eadem.

lib. 3. tex. 19. quadri.

de natu. fœtus.

lib. 7. c. 3. de hiſtor. an.

Ex dictis colligere poſſumus Geminorum Cœli conſtitutionem diuerſiſsimam eſſe poſſe; à me conceptio in maxima habetur exiſtimatione, & vt inferius apparebit in aliquibus pręcipuis ipſam vim maiorem habere quam ortum ſtatuere non dubitabo. Ex quo etiam patet non omnia ab Aſtrologis ſciri, & licet multa ſciantur, tamen ob difficultatem, & regulas infinitas non omnia fieri poſſunt, cum etiam infinita ſint occulta; videmus auſtralem, & borealem Lunæ nodum maximos effectus producere, quare negabimus illos

mus illos Saturni, & Martis, eosdem & maiores produ-
cere cum infortunæ sint, certè in hac opinione essem, quod
semper effectus, & maiores efficerent, crederem etiam in
directionibus, & similibus dum significatores ad exagonum,
tetragonum, triangulum, atq; diametrum planetarum di-
riguntur, sic etiam & inerrantium syderum tales directio-
nes fieri posse.

Etiam mihi fas sit dicere non quod inanes scientias de-
fendere velim, sed disputandi gratia, si ex radijs reflexis
Solis, & Lunæ lunaris horoscopus nascitur, quare ex alio-
rum planetarum radijs reflexis non orietur aliquid aliud?
dicet aliquis, quia Sol, & Luna sunt luminaria, ideo ob lu-
men maximum potest id oriri, & aliquis effectus gigni, &
ego dico quod Iuppiter, & Venus sunt fortunæ; stellę ma-
gnæ licet tam magnum reflexum non faciant tamen mino-
rem, & imbecilliorem, ergo non omnino spernendus ille re-
flexus, sic aliorum: ego verò nisi Ptholemęi doctrinam se-
querer, atque ipsi addictus fuissem, lunarem horoscopum
tamquam alios Arabum labores parũ vtiles relinquerem, *in libro*
cum iuxta Comm. sententiam Iuppiter cum secundæ Do- *suppl.*
mino Diuitias significet, nec esse ponendum talem lunarem *ephe. c.*
horoscopum idem affirmat, quam sententiam sequantur, *22.*
qui velint, ego Ptholęmeo astipulor, cuius doctrinã veris-
simam esse ipsa mihi declarauit experientia, cũ anno Chri-
sti 1613. die lunæ 28. Octobris facta fuisset lunaris eclipsis
in gradibus 4. cum scrupulis 54. Tauri in loco partili lu-
naris horoscopi cuiusdam amici mei, qui inter decimam,
& vndecimam ipsam sortitus fuit, vidi eodem tempore ef-
fectus mirabiles, & maiores si apheta principalis fuisset; in-
finita alia exempla possem referre, sed gratia breuitatis
pretermitto, dico denique ex Astrologia multas nos posse
percipere vtilitates, & Medico valde est necessaria, sicut
ex ipsis possumus colligere, ac etiam à Sacris Theologis,
vt apparet in Libris DE MVTATIONE AERIS; hoc si *lib. 2.*
quidem dico asserenter affirmare non debere secundum *com. 5.*
consilium etiam ipsius Comm. qui non solum in rebus, quę *quadr.*
ab homi-

ab hominis arbitrio libero dependent, ſed nec in illis, in quas aſtra agere poſſunt, poſſe aſſerere aliqua certitudine decernit; ideo dicebat in hac ſcientia neceſsitatem imponi non debere, quæ eſt veluti cęcutientis rem procul videntis, qui vmbram ſolam confuſam aſsimilatam pluribuſ rebus incerto iudicio depræhendit.

De Seminis conglobatione, atq; Principio genituræ. Cap. III.

HOMINIS formatio, ſicut à Philoſophis, ac Medicis intimè contemplantibus aſſeritur, primum tempus, ac naturam obtinet ab initio ſtatim complexu, amplexuq; mutuo ſeminis; quo tempore generatio, ſeu conceptus dicitur, quoniam inter ſe ſemina fermentata coaleſcunt, vt cremor, & vel vt lactis concretio quædam, ſicut per Iob colligitur, non ne ſicut lac mulſiſti me, & ſicut caſeum me coagulaſti: Quid verò ſit conceptio, Fernelius docet eſſe propriam, paculiaremq; vteri actionem, qua ſeminis poteſtas exuſcitatur, & inſitum ſibi munus re ipſa obit, & exequitur, exemplum tribuendo, quemadmodum fœrax, & fœcunda terra ſuo calore exceptum ſemen fouet, deinde excitat, & ad parturiendum impellit, ſic fœcundus vterus vi ingenita, quę alteri nulli parti eſt conceſſa, ſopita ſeminis vim, & deliteſcentem in eo poteſtatem excitat, & ad agendum extimulat, vt enargia fiat, ac dicatur; formatur autem fętus ex vtriuſq; ſexus ſemine, ac primis ſeptem diebus confluente materno ſanguine in oui ſpeciem coaleſcit, ac conglobatur, & vt inquit Ariſtoteles membrana obducitur, quæ venis referta eſt, aſsimilaturque ouo in ſua membranula contento, cui texta exterior ſit detracta, ineſt autem vis, atq; formatrix facultas diuino quodam cęleſtiq; munere ſemini, quod vitali, atq; æthereo ſpiritu abũde imbutum, atq; vndiq; perfuſum effigiem, formamq; fœtui imprimit, ſic vt ſingula membra, totaq; corporis moles, quæ tanto menſium decurſu perficitur, ac ſenſim in

cap. 10. lib. 7. phyſiol. cap. 10.

lib. 7. c. 7 de hiſtor. animal.

ſpeciem, decoremq; atque in decentem hominis figuram abſoluitur, in eo conſiſtant, & quodammodo ſint adumbrata.

Sed altius exordium repetere debemus; ſemen à ſpiritu facultates habente coagulatur vna cum naturæ opere, & in medio ſemine tres perſpicuæ bullæ conſtituuntur, quæ trium principalium membrorum nempè cordis, hepatis, & cerebri ſunt rudimenta, taliſq; ſpiritus non ſolum his affixus, ſed per omnes ſeminis partes vagatur, cum ſit inſtrumentum naturæ, quæ poſt principalium partium fictionem partes ſingulas effingit.

Ex dictis colligere poſſumus Aſtra maiorem in conceptione vim habere, quam in ortu, cum tunc partes oriantur ſpermaticæ, quæ ex Philoſophorum, atque Medicorum ſtatutis ſemel deperditæ non amplius regenerantur; per conceptionis igitur motum, atq; illum ſeminis attritum quaſi experrecta cęleſtis vis imprimit in materiam, & ſecundum Cęli ſitum ita fœtum formari aſſerere nôn erit abſurdum. Hoc melius infra patebit.

Nunc ad Hippocratem reuertamur, qui ſupradictæ Ariſtotelis opinioni conſonus eſſe videtur, & Galenus alicubi Hippocratis ſententiam referendo dicit; genituram ſexto poſt die eiectam intuitus, qui libellum de natura infantis ſcripſit ſiue is Hippocrates ſiue eius diſcipulus Polybus fuit, & exquiſite, & expreſſe his verbis explicauit. At verò inquit genituram, quæ in locis per ſex dies manſerat, & poſtea exciderat ipſe vidi, & ab illis, quæ in ipſa tunc mihi apparuerunt reliqua coniecto. Quo modo autem genituram ſextum poſt diem viderim narrabo, mulieris ancillæ quædam pſaltria erat inſignis, quæ ad viros ventitabat, quã quidem non oportebat in ventre concipere, ne ignobilior redderetur, audiuerat autem hæc pſaltria, id quod dicere inter ſe mulieres conſueuerunt vbi videlicet conceptura eſt mulier, non amplius exire à vulua viri ſemen, ſed intus contineri; hoc igitur cum audiſſet animaduertit, ſemperq; obſeruauit, & fortè vbi ſentit ſemen ſibi non exiſſe heræ

in lib. de Natura pueri. libro de fœtus formatione c. 1

manifestauit, quod cum vsque ad aures nostras peruenisset iussimus ipsi in terram desilire, at illa septies fere id fecit, & genitura non sine strepitu quodam excussa in terram defluit quam cum mulier vidisset inspexit, atq; admirata est, qualis autem fuerit ipse dicam perinde ac si quis crudi oui exterius putamen detraheret, vt per interiorem membranulam interior humiditas pelluceret, talis quidem modo plane erat, rubrumq; ac rotundum quoddam inerat, in membrana verò fibræ quædam venularum albæ, ac crassæ inesse cernebantur sanie crassa, ac rubra inuolutæ extrinsecus circum membranam cruenti liuores in medio tenue quippiam habeat qui mihi videbatur esse vmbilicus, quo fętus primum spiriru, & foras, & intro meante respiraret ab eo membrana, quæ continet genituram tota erit producta. Patet igitur quomodo fœtus sex dierum spatio videatur, circa quod dubitandi occasionē dat Hippocrates nam alibi septem dierū spatio omnia membra habuisse fatetur, nempè caput, pedes, manus, brachia &c. extat igitur difficultas quomodo vna die tam cito possint membra crescere, cum die anteriori nullum sit visum vestigium; equidem nullam aliam responsionem dare possum, quam istarum alteram, vel scilicet quod dies non bene sint numerati, vel quod talis fœtus rudis, & quælibet partes rudibus delineamentis intelligantur, cuius rei exemplum à statuarijs, atq; opificijs, argentarijs tale quidpiam imaginari licet, qui vel ęs, vel rude lignum, impolitumq; dedolant, atq; excauatum manubrio, adhibitaq; ascia perpoliunt, atque opus affabre celatum exhibent; ad Hippocratis igitur defensionem hanc eamdem sententiam videtur Galenus afferre, & Fernelius alibi: sed quia Hippocrates dicebat tali tempore membranam genituram continentē esse confectam; ideo in sequenti capite ipsarum tractationem agredere fas erit.

in lib. de princi-pijs.

lib. de fœt. format. c. 3 lib. 7. c. 10. Physiologiæ.

Sed dubitabit aliquis quomodo conceptio fiat de geminis, & trigeminis, ideo multæ sunt opiniones; prima est Asclepiadis, qui geminorum, & trigeminorum conceptionem naturæ fęcunditatis seminis ascribit, asserendo quod

sicut

sicut ordeum reperitur, quod duarum, & trium ordinum spicas gignit, ita fertilissimum semen extat, quod duos, pluresue fętus procreat. Empedocles tamen dicebat id oriri ab abundantia seminis, & distinctione duos, tresue simul infantes concipi. Erasistratus in apprehensionem matricis causam refert vt in brutis quoque contingit, nam earum vterus cum bene purgatus fuerit, tunc ad corripiendum semen descendit. Stoici verò vuluas dicunt habere loculos cum igitur in duos semen inciderit geminos, cum in tres abierit trigeminos fœtus edi. Astrologi verò à significatoribus in signis duplicibus bicorporeis, & fœcundis oriri dicunt, quamquidem vltimam opinionem (veluti ego centies obseruaui) spernere non possum.

De Membranis Infantem subcingentibus. Cap. IIII.

TRIBVS membranis, seu inuolucris in lateribus materni vteri fœtus obtegitur; exterior græcè Chorion latinè secundæ, siue secundina, Placenta, Retina, retiformæ, & iecur vterinum dicitur, quæ statim à partu procedat; hæc enim plena venarum, & arteriarum cernitur, sicut Galenus dicebat, & in singulis porro orificijs vasorum, quæ intrinsecus in matricem pertinent sanguis menstruus in ipsam ferebatur sicut ab eodem Galeno habemus. Duę alię huic subsunt membranæ, quarum prima à forciminis figura allantoides appellatur, quam intestinalem dicimus, Arabes Abgas, camisia fœtus, & profundatio sudoris dicitur, hæc ex fœmineo semine solet generari, quæ capiti clunibus, ac pedibus obtenditur, partibusq; eminentibus incumbit, cuius vsus est, vt efformati infantuli lotium suscipiat: postrema tenuissima est membrana, ac pellicula, quæ absorbet sudorem vna cum vapore à fętu proficiscente, eumq; ambit orbiculatim, & complectitur amnios, hoc est a mollitie, & teneritate angina dicta, & Amicula, quæ munimenta, ac gestationis præsidia prouida natura excogitauit, ac molita est, ne aliquid incommodi attrita

lib. de fœt. format. c. 2. & 8. de vsu partium c. 8 lib. 15 c. 4. de vsu partium & lib. 14. cap. 11. ibidē lib. de vuluæ dissect. cap. 10. Gal. lib. 15. c. 4. de vsu partium

patiatur infans, ne ve illum contingat allidi (de his etiam Aristoteles mentionem fecit) postrema harum multoties cum puero ipsa induto prosilit, præsertim cum portæ panduntur, ac pudenda mulieris sunt dilatata.

lib. 2. c. 3. de ge. animal.

Talibus velaminibus ineptæ aniculæ spem, pauorem, timoremq; puerperis incutiunt, nam si talis membrana nigra videatur, quod accidit ex humoribus varijs ibi circumfusis, multa infantibus futura sinistra, infesta imminere, laminis, seu strygibus fore obnoxios, denique insomnijs, nocturnaq; inquietudine diuexandos pronunciant; si verò rubicunda fuerit membrana propter sanguinem, semenq; sincerum ibi existentem, nulli vitio obnoxium infantem, ac ægregium illum fore vaticinantur, magnaque dexteritate, ac successu omnia effecturum; si alba, quod ob pituitosos humores contingit simplicem, purum, amentem fore infantem asserere audent, sed cum hæc delirantium anicularũ sint dicta, silentio inuoluenda esse arbitror.

De conceptionem impedientibus, atq; remedijs ad conceptionem. Cap. V.

CVM vel semina sunt vitiata, vel instrumenta inepta totus naturæ ordo inuertitur, sic vt naturales vires fingendæ, propagandæq; sobolis suum opificium exactè nequeant elaborare, vt enim artifex industrius opus inchoatum perficere nequit, vbi vel improba est materia, vel retusa instrumenta; sic natura suarum facultatum viribus destituta, vel materiam incongruam nacta omnia agit vitiosè, suoq; frustratur fine. Particulatim igitur aliqua conceptionem oppugnantia, sterilitatemq; inducentia in medium afferre sum arbitratus; licet obiter superius nonnulla tetigissem. Primum igitur impeditur conceptio ab organorum ineptitudine, nempè mala compositione, dum peccant organa propter duriciem, molliciemq; nimiam in virgæ continuatione, seu matricis, sicut in fistulis patet, aut ex intemperie scilicet (vt superius dictum est) ex nimia

frigidi-

frigiditate, humiditate &c. innata in matrice, & penu, duplicititer esse possunt nempe accidentalia, vt apostema, vel in generatione, nempe si testes inepti oriuntur, seu mentula deformis, sicut Aristoteles asserebat, & in illis, quæ imperforatæ appellantur. Penis autem interdum non erigitur (& sicut Ioannes Mirandulensis inquit cuidam nisi vapularet, non erigebatur: nonnullis nisi dum verberantur multis ex doloris immaginatione, nam dum erubescunt, vel timent erigitur, & petitos se veneficijs existimant; prçterea cõceptus orbitatem possunt afferre ex stoicis membra pudenda in figura peccantia, vt si torta sit Hystera, seu caulos, etiam accidentali causa idem accidit si vas fœtus gestandi muliebri fluxu repleatur, & menstrualium venarum orificia sint clausa à carne innata, vel accidentaliter genita, post vulnerũ sanationem, adhuc nimia ipsius constrictio, vel ingenita, vel accidentalis, aut à vulnere, seu vulcere sanato, nec non eiusdem latitudo innata, vt ab humore, accidentalis, vt à cicatricibus idem efficit licet in quantitate nimia virgæ longitudo generationem impedit, atq; etiam breuitas, dissipantur enim spiritus, antequam ad os matricis deueniant, vnde non est credendum fabulę Auerrois de Matrona quadam, quæ non procul ab ipsius domo habitabat, cum balneum intrasset, in quo quidam homines antea dum lauarent semen genitale profudissent, statim concepisse: nimia magnitudo, & paruitas matricis, verrucæ, ficus, emoroys in penu, & in vulua idem faciunt; etiam latitudo matricis impedit, sicut dictum est vna cum ipsius ad alterum latum declinatione, & eius inuersione ante vel retro, vel sursum; ex feminis parte quoq; oritur impedimentum, vr propter ipsius paucitatem, atq; defectum, sicut in ętate decrepita accidit vt asserit Galenus; vel propter eius tenuitatem, & fluxibilitatem sicut videre est in flaccidis, crapulosis, ebrijs, & pueris, vel propter nimiam caliditatem sicut in febricitantibus, & in patientibus calorem hepatis, & renum, vel propter frigiditatem excendentem, vt in congelatis, & nimis frigidis, vel propter nimiam sicca-

Auicen. fen. 21. cap. 25. lib. 2. c. 5. de ge. animal.

sectione prima c. 10. collectaneorum.

lib. 2. c. 1. de sanitate tuenda.

ſiccitatem ſicut in Ptiſicis, & conſumptis; deniq; propter humiditatem ſuperfluam, vt in hydropicis, & ſimilibus; & veluti Diocles Medicus dicebat ſæpe concubentes fœminas raro concipere, vel quia ſemen non emittant, vel quia minus quam conueniant, vel quia tale vt in eo vis prolifica non ſit, vel quia caloris, frigoris, humiditatis, ſiccitatiſq; plus, minuſue quam par ſit habeat, vel deniq; quia reſolutus vterus ſemen non contineat.

5. aph. 64. Ab omni enim membro poteſt ſperma decidere virtualiter, & vt Hippocrates dicebat, ſimiliter autem, & in maribus, aut enim propter corporis raritatem ſpiritus extra fertur, vt ſemen non tranſmittatur ad os, vel propter ſpiſſitudinem humor non exit foras, vel propter frigiditatem non concaleſcit, ita vt ad hunc colligatur locum: vel propter caliditatem hoc idem accidit, & vt vno verbo dicam habeat mulier ſtatis circuitibus vteri rheumata multitudine, & tempore, ac qualitate conuenientia, ita neque pauciora, nec ſuperflua, nec alba, nec fœtida, aut quæ profluant diutius, & circa vterum ſit maxime incolumis, non luxatio, non tumor, non dolor, non collum conſtrictum, nec pituita defluens adſit, ſed maior cautela erit, ne in pueritia comitialis morbus inuadat, aut tales ſucceſſu temporis. Eraſiſtratus ab vtero oriri dicit, qui modo latior eſt, quam deceat modo anguſtior aut callos habeat, quibus vteri meatus obſtruantur.

Ad dignoſcendam mulieris fœcunditatem, ex hoc percipere poſſumus, nam plerunq; boni ſunt caloris, maſculis validioribus præditę ventre maxime inferius, rotundiore, & pectore lato Hippocrates fœcundas mulieres, puellaſq; mundo capite circundata linteo explorabat, & ad os vteri artemiſiam, aut allium, vel galbanum, vel melanthium ſupponebat, & ſi mane melanthio galbano, vel allio olebat caput, fęcundam eſſe mulierem cognoſcebat, aliter contrarium eſſe cenſebat, Medici noſtrę ætatis veſperi ſubijciunt moſchum ad ſuffitum; mane puellæ baſia moſchum redolat.

Medicamenta, atq; cibaria, quæ fęcundas faciunt mulieres ſunt

res sunt solidiores cibi, præcipue animalium facile concipientium carnes, vt pullorum, perdicum, damę, leporis, cuniculi, parui polypi, artemisia mercurialis, quæ vterum siccaret, parietarię etiam cum sint luxuriãtes, succus etiam saluię ex vncijs septem potus: quę verò ex ingenita conferunt proprietate sunt spica nardi, galanga, ericij caro, mandrangorę, hirci, testes, nepita, iris illyrica, testes cerui, calamentum odoratum, feniculi radices cum vino coctę, addito melle, myrra staphsiagria, piper, vterus leporis contriti, visci fructus, rutę folia periclymeni, cicutę, ligni cupresi scobs radices acanthidis tusę, & pinsitę coctæ in vino albo, & cor cerui in cinerem redactum, & cum tragacantho datum in potu, spuma ruminantis caprę in potu data, mithridatum eupatorium, diascinscium, radix aquaticę plantaginis cum melle cocta addito cumino, etiam virilia inungantur, & in vuluam pessarium cum lana ex vulpis stercore, sangnineq; leporis introducatur; item cum terebenthina, resina, & lana centaurium. Vterum leporis viro exhibent periti, fœminę verò testes, hepar, & testiculi porculi, quem scropha solum ediderit in furno siccati, nec non apri testes eodem modo exhibiti valde vtiles sunt, item vehementer odorata, & parum calefacientia iuuant admodum conceptionem, vt folium nardi, agallochum, & thus. Medici hoc tempore ex malua, & artemisia faciunt suffitus, & supponunt theodoricum, paulinumq; antidotum. Ad cognoscendum an à viro, an vero à fœmina sterilitatis vitium oriatur, vir in ollam vnam, mulier in alteram bene mundam mingant, in quibus malua sit, & cuius malua computruerit, & vermes post octo dies generauerit, existimant illũ, illamue sterilem esse, alij hordeũ, alij triticum, & alij furfurem loco malue imponũt.

De trium principalium membrorum cum alijs membris perfectione, atq; infantis motus tempore. Cap. VI.

COMMVNIS Philosophorum, & Medicorum scola conuenit, non prius decimo octauo primi mensis die euiden-

euidenter, atque perſpicuè ſe proferri tres illas principes partes, nempe cor, hepar, & cerebrum, quę vt ſuperius dictum eſt in prima rudi formatione omnes ſimul oriũtur, ſicut tres ampullę, an verò in perfectione idem accidat negatiua opinio eſt tenenda; quę verò harum partium prima ſit à natura perpolita, configurataq;; maxima controuerſia eſt inter Philoſophos, & Medicos, Ariſtoteles enim aſſerebat cor primum gigni, ideo alicubi conſueuerat dicere, cor primum quod gignitur, vltimum quod moritur eſſe; Medici verò volunt hepar primo configurari, idemq; Galenus aſſerit; ego verò relicta Ariſtotelis opinione Medicis aſtipulor qui ita recte ſe defendunt, dicentes quod prius plantarum vita viuimus, plantę enim viuunt, aluntur, & creſcunt, ſed non calore illo, atque ſpiritu, qui animalibus ex corde proficiſcitur, fœtus enim iecoris beneficio viuit, recens conformatus ex ſemine haud ſecus atq; ſtirpium genus, vnde prima ſimplexq; viuendi dicitur ratio, quę cum ad animantium vitam defendendam nõ ſufficiat, temporis curſu quamdam ſuſcipit perfectionem ex corde, quod fortiorem, vegetiorem, obſolutioremq; hanc reddit actionem, & tunc temporis animantium vita per ſpiritus cordis vitalem, ac vim illam exercetur. His igitur rationibus cum medicis dicere poſſumus, quod decimo octauo primi menſis die euidenter, atq; perſpicuè proferuntur partes principes, primum hepar, ex quo venę propagantur, vena porta, & caua ſobole multiplici diſparguntur, ſecundo cor, ex quo arterię emergunt, tertio encephalon, ex quo, & ex encranion vel parenchephali tanquam filamenta quędam nerui educuntur, vel ſpinę medulla inſtar caudis, equa nerui filis araneorum tenuiores emergunt, poſtea verò ventriculus, enterea, viſcera, pericardion cordis, aut capſula vel inuolucrum, membranę, peritoneos, meminx duplex, cutis etiam creſcit omnia contegens, oſſa etiam ſenſim, quę duritiem conquirunt ex coacto, & verò concreto ſemine, denique omnia membra, & totum perficitur opificium, nam & vigeſimo octauo, aut trigeſimo die membra extrema arti-

lib. 4. c. 4. de ge. animal. lib. de fœt. format. c. 3.

ma articulatim, atq; exquisitè elaborata conspiciuntur, ac iam pullulescere, & palpitare fętus incipit, à quo dierum progressu, quoniā omnes artus sunt discreti, totumq; opificium exactè formatum conspicitur (teste Galeno) non amplius fętus, aut embrio hoc est pullulans concreto, sed infans, aut puer indigitari incipit, mas autem die trigesimo perficitur vt plurimum, fęmina verò quadragesimo, vel quadragesimo quinto; quam opinionem tetigit Aristoteles, dum inquit fęminam tardius perfectionem in vtero recipere, quam marem, & alibi etiam mares in vtero cęlerius conformari, & augeri, quam fęminas; extra vterum verò e contraria; quod multoties obseruatum à me fuit puellas citius, quam mares creuisse, sed Aristoteles etiam videtur asserere mares circa quadragesimum diem dextro potius latere moueri, fæminas verò sinistro; Fernelius autem perfectas in maribus partes die trigesimo asseruit, in fęminis verò trigesimo sexto, quæ ambo vera esse possunt, ratione complexionis, caloris, temporis anni, & super cęlestium causarum, quod autem masculi properantius absoluantur caloris ratione id euenit, qui humorem, vt mollem ceram extendit, diffundit, dilatat, suaq; vi fingit, formatq;, si calor, & vigor corporis, ipsaq; naturę alacritas maribus trium mensium spatio, fęminis quatuor motum accelerat, quo tempore capillis etiam pullulantibus, & vnguibus agitari infans in vtero, ac calcitrare molitur; ita vt grauidæ dolores percipiant maximos (sicut Aristoteles dicebat) & non obscure motum; ac nausea, cibiq; fastidio infestantur, sicut idem Aristoteles fatetur: deniq; ab urda quædam edulia, atque à natura aliena appetant carbones, testas, crudos pisces, & similia, quæ omnia vt plurimum plebeis accidunt, quæ voraces sunt, multum sordidi humoris, ac fęculenti sanguinis in conceptaculis internis congerunt, ex quibus circa tertiū à conceptu mentem nausea, ructus acidus, fastidium, ac præter naturam rerum desiderium, & acciditas excitatur; nobiles verò mulieres huic affectui, atq; errori non ita sunt

lib. 1. c. 9. de semine.

lib. 7. c. 7. de natura an.

lib. 4. c. 6. de ge. animal.

lib. 7. c. 6. de histo. ani.

lib. 7. c. 10. phys.

lib. 7. c. 4. de hist. animal.

ibidem cap. 4.

obnoxiæ, vt quibus minimum excrementi, aut vitiosi humoris in corpore coaceruantur.

Dicam, quod percepi à quodam Authore, & est, quod quædam mulier vterum ferens, desiderio humeri pistoris denudati, dum panem ad furnum deferebat omnem cibum penitus fastidiebat, præter carnē de humero dicti pistoris. Maritus percharę vxoris misertus certam pecuniam pro singulis morsibus pactus; fecit, vt ille duos dentium mulieris insultus sustineret, tertium verò doloris pertęsus cum amplius ferre nollet; tunc mulier ter geminos est enixa duos viuos, & tertium mortuum.

in Epist. Medic. Dicam etiam, quod refert Io: Langius, quod fuit Mulier grauida in pago nō procul ab Andernaco Episcopi Coloniensis Oppido, Mariti carne vesci desiderans illum (tametsi percharum nocte occidit, & dimidia fere carne eius saturata, reliquum) sale macerauit, vt ipsamet postea cum malaciæ furor deferbuisset, & facti pęniteret amicis Maritum quærentibus confessa est.

Quoto gestationis die inducatur anima rationalis. *Cap. VII.*

ILLA diuinæ mentis scintilla, spiraculumq; quod hominem à beluis discernit, atq; immortalem reddit, in infantis corpore creatur cum omnibus suis membris, articulisq; fętus fuerit absolutus, quod (secundum Medicorum sententiam) ferè sexto, & quadragesimo à conceptu die assolet fieri, maribus præsertim, vbi nono mense lucis huius auspicia accepturi sunt, fęminis verò ob naturæ flaccedinem ad quinquagesimum diem porrigitur tempus, quamuis nō omnino certo, fixoq; dierum numero hæc terminari possint; sufficit tamen illorum dierum confuso spatio animam infundi, licet quidam Poeta canat.

Tres in lacte dies: tres sunt sine sanguine trini
Bisseni carnem: ter seni membra figurant,

Post

Post quadraginta dies vitam capit hinc animamq;

Ex quibus colligitur animam fętui non inesse, nec hominis nomen promereri, nisi lineamẽtis omnibus sit indutus, atque exactam formam consequutus, quod etiam à Diuo Augustino testimonio Moysis docetur, si quis mulierem vterum gerentem percusserit, & causa abortus extiterint si formatus fuerit fętus, det animam pro anima, si verò informatus fuerit pecunia mulctetur, vnde patet ab eo homicidium non committi, qui in vtero occidit antè rationalis animæ infusionem. *queſ.32. exod.22.*

Sacri Theologi membrorum fętus perfectionem in maribus circa diem quadragesimum absolui, in fęminis verò circa octuagesimum sentiunt; quorum sententia est decerpta à similitudine legis veteris, quæ mulieribus præcipiebat, vt si masculum parerent, quadraginta diebus, si fœmina octuaginta se se domi continerent, & à templi cessarent ingressu, idq; ad naturæ, ac temporis imitationem; quo corpus effingitur in vtero, aiunt fuisse perscriptum.

An verò introducta rationali forma cessent añæ. Diuus Thomas acriter contra asserentes, tres animas non solum pedetentim recipi, sed etiam permanere, disputat, tenetq; fœtus materiam diebus aliquot sub forma vegetatiua esse, cui intereunti sensitiuam, & huic similiter intellectiuam succedere opinatur; nec vlla erit dubitatio, neque admiratione dignum, quod duæ formæ priores vegetatiua scilicet, & sensitiua hostis nullo externi incursu intereant, nam cum prima ad secundam, & secundam ad tertiam præparatio sit, priores ambæ eas accipiunt in materia dispositiones, quibus non nisi certo spatio temporis perseuerent, atq; cedant formæ principi, cui præeundo istius modi veluti satellitio famulantur. *1. part. queſ. 76 art. 3. e 2. contra gent. c. 116.*

Adhuc alia extat difficultas, an anima intellectiua immediatè procedens à Deo huic crassiori corpori per competentia media iungatur: Platonici omnes hanc habuere sententiam, vnde primo in descęnsu ipso cęlesti corpúsculo

inuolui dicunt, ac aereo, quod animæ vehiculum vocant æthereum, alij animæ appellant currum, hoc medio Dei iussu, qui mundi centrum est, in medium cordis punctum, quod humani corporis extat centrum, infunditurque primum, per partes corporis sui vniuersas, & membra diffunditur ex inde, quando naturali calori suum iungit currum, per calorem spiritui ex corde genito, per hunc se humoribus immergit, per illos membris inheret, atq; his omnibus ęque fit proxima licet per aliud transfundatur in aliud, quemadmodum ignis calor, aeri, atq; aquæ proximè hæret, licet ad aquam tollatur ad aerem,

Hinc inde patet quomodo per immortale corpusculum, videlicet æthereum vehiculum anima immortalis mortali, & crassiori claudantur corpore. Cum verò hęc media per morbum, malumq; soluuntur, vel deficiunt, tunc per singula media se se recolligit anima ipsa refluitq; in cor, quod primum animæ erat susceptaculum, at cordis spiritu deficiente, caloreq; extincto ipsum deserit, & homo moritur, & cum vehiculo hoc æthereo anima euolat, custodes genij, & Demones illam egressam sequuntur, ad iudicemq; ducunt vbi sententia lata, bonas animas tranquillè ad gloriam perducit Deus, malus Demon ad pęnā malas trahit.

Dicebat etiam in descensu ipsius animæ in corporis diuina dona à singulis Cœlorum, & intelligentiarum ordinibus accipere, & primo à Saturno immobile propositum, stabilitatem, contemplationem sublimem, iudicij grauitatem intelligentiam profundam, speculationem firmam suscipere; à Ioue deinde pietatem, temperantiam, iustitiam, fidem, prudentiam inconcussam, modestiam, æquitatem, sinceritatem, religionem, clementiam, gratiam; à Marte ardorem animositatis, robur, & fortitudinem constantem vim, & practicam agendi, veritatem imperterritam, & animi vehementiam inconuertibilem; à Sole lumen iustitiæ, sciendi, & opinandi naturam, animi nobilitatem, zelum, perspicuitatem immaginandi, consilium charitatem, maturitatém, rationem disgregantem recta

ab iniquis,

ab iniquis, & lucem à tenebris ignorantiæ purgantem, cum versatis inuentæ gloria; à Venere pulchritudinem, spem suauissimam, ordinem, amorem, feruentem concupiscentiam, motum, desiderij suauitatem, propagationem sui, desiderium incrementi; à Mercurio ratiocinationem, dilucidam, grauitatem eloquij, credulitatem, & fidem penetrantem, vigorem pronuntiandi, interpretandique, ingenij acuitatem, rationis discursum, & velocem sensuum mobilitatem; à Luna augendi, & generandi, crescendi, & decrescendi vim fęcunditatem, consonantiam pacificam, fidem, quæ in apertis, & occultis versans omnibus præbet ducatum; principaliter isti influxus ab intelligentijs septem trahuntur; Planetæ tamen solum corpus disponunt, Deus verò tanquam causa principalis omnibus pręstat, & influxum, & incrementum.

Hæc fuit de anima Platonicorum opinio, quæ falsissima est, & contra ipsam Diuus Thomas acriter inuehitur, statuitq; simul cum corpore disposito animam creari, licet alij non creationem, sed concreationem velint esse, quod quidem Theologis melius examinandum derelinquimus. *1. part. qu. 118. arti. 2.*

De Infantis situ in vtero, atque ipsius Alimento. Cap. VIII.

QVEM habeat in vtero situm infans ostendetur, gestatus in materno aluo à mento vmbilico annexus est, veluti malum arbori suo affixum, per quem adminiculo omphalinæ venæ (teste Aristotele) nutrimenta capessit, aliturq; non per os, & labia (veluti dicebat Democritus Epicurus) quæ non dum illi visui sunt ad edendum, vt nec cystis, seu vesica, aut podex ad egerendum, vmbilicalis siquidem vena ab Hystera orta iecur diuisa eius parte ingreditur, atq; in venam porte terminantur, à qua sanguis purissimus per seminaria vasa in vterum deriuatur, hinc efficitur, vt sanguis, spiritusq; tanquam auxiliares, succenturiatęq; copię continenter ferantur deorsum, ne quando *lib. 2. c. 5. de ge. ani. & lib. 7. & 8. de na animal.*

horum

horũ aliquid desideretur , per hos itaque venarum ductus, atque arteriarum riuos,qui ex corpore materno emergentes in vterum deferuntur, atque mox vmbilico infiguntur, fœtus alitur , & seminis facultate , quod vteri calore fouetur , ac sanguine irrigatur omnibus suis membris spatio temporis perficitur .

Sed adhuc remanet quædam difficultas ,an sanguine purissimo , vel menstruo infans in vtero vescatur , aliqui asserunt sanguine menstruo nutriri ; Fernelius , cui astipulor, purissimo sanguine vesci fatetur nulla menstrui qualitate infecto , cum vt superius dictum est ; menstruum sit humor venenatus , ex quo summopere deleretur fœtus ; probatur etiam auctoritate Hippocratis in libro de Natura Pueri , Auicennæ , Galeni, & aliorum Medicorum ; mihi verò solam Galeni authoritatem referre satis est, qui asserit : cum enim Natura , quæ fœtus format , augetq; vteri gerendi tempore optimum sanguinem trahat , reliquitur portio in venis deterrima, quæ postpartum excernitur : si sanguis est optimus (sicut Galenus inquit , ergo cum aliqua menstrui portione non miscetur , & quia Medicorum nonnulli asserunt exanthemata lata , seu morbillos, variolasq; ab vtero infantes secum ducere , ego cum Fernelio dico non esse verum , sed ab aeris constitutione oriri , & præcipuè tempore æstatis , & dum aer corrumpi incipit . Ideoq; pestilentiales morbos prenunciare solent ; idem ni fallor Hippocrates volebat , sed , & vnam addo rationem , nam si illud vteri rheuma in infantis venis reperiretur , exiretq; foras tempore ebullitionis , statim ex vtero egressi talibus morbis corripi (deberent , dicet aliquis non corripiuntur quia ebullitio non adest ; ergo cum membra tota sanguinea massa nutriantur post ortum , per duos , vel tres menses ille sanguis est consumptus , & per consequens non est dicendum variolas , quæ opprimere solent (pueros , quinto , septimo , decimoq; anno ab vtero materno ortum ducere, & etiam senes sexagesimo , & septuagesimo anno (veluti expertus sum ,) etiam altera reddi potest ratio , nam cum pueri

lib de atra bile cap. 8.

2. epid. sect. 3.

pueri humidiſsimi natura ſint (teſte Galeno) aliquo tempore ſecũdum humiditatis abundantiam conglobatur humoralis maſſa, & foras exit, præcipuè dum in locis calidis morantur, vel tempore æſtiuo, ſicut etiam accidit certis annorum periodis, in quibus corpus humanum magnam humorum collectionem, ac redundantiam congeſſerit, quorum motu, atque agitatione morbi excitantur climaterici ab Aſtrologis nuncupati; adhuc altera extat dubitatio, nam cum infantis membra adminiculo vmbilicalis venæ nutriantur, vnde nullum expellitur excrementum, cum os labia, atque ventriculus cum alijs idoneis membris ad accipiendum cibum non dum vſui ſint, quomodo tamen in inteſtinis fęces viſco ſimiles reperiantur? cum etiam prima concoctio tali tempore ocioſa remaneat, dico igitur quod infans per vmbilicum nutritur, atque omnes corporis partes nutrimentum capiunt, etiam choledochos, ſiue cyſtis fellis ſuam capit bilis portionem, vnde redundans foras exit, & per inteſtina fluens in vitellinam mutatur, melancholiæ verò excrementum foris à liene emittitur, & tum cum bile miſcetur, vnde tales ſimul miſti humores, cum aliqua etiam ſanguinis craſsi portione caloris moderãtia, atque aliqua humiditate, non ſolum in calorem illum mutantur, verum etiam eam conſiſtentiam acquirunt, orto denique infante per aluum intra viginti quatuor horas eyciuntur; ſed vt ad propoſitum reuertamur, infans in media vteri capacitate, ac velut centro libratus ſuſtinetur totus in ſe conglobatus; ita vt capite paululum inclinato mentum pectori, talos, calceſq; natibus, manus genis, oculiſque applicet, crura verò, ac fęmora incuruato poplite ſurſum elata imum ventrem attingant, prior aduerſaque corporis pars nempe frons, nates facies dorſo materno imminet; vtque dicebat Ariſtoteles, naſum inter genua, oculus ſuper genua, & aures extra genua habet.

lib. 2. c. 2. de tẽperam:

lib. 7. & 8. de hiſ animal.

De

De signis grauidæ Mulieris. Cap. IX.

in lib. de natura Pueri.

INFINITA sunt signa, per quæ an grauida sit mulier possumus cognoscere, ego igitur aliqua hoc in loco referre conabor; & primum signum ab Hippocrate allatum est, quod post coitum à vulua viri sperma non exit; deinde vterus post conceptionem se contrahit corpus totum grauatur post congressum oscitare mulierẽ, firma plerunq; sunt conceptus argumenta fiat etiam, at mulier lotium reddat in vase æneo, & noctem vnam acum ferream, & perpolitam in illud demergatur, & si prægnans erit maculis rubris distinguetur, sin minus nigrescet, vel ferruginea, aut eruginosa euadet oculorum caligines, & dolores capitis mouentur; nauseæ assa anorexie, vel apositiæ, vomitusq; plurimas capiunt, sæpe etiam multis vrinæ ad postremum infestat distillatio, tumores, exuberationesque carnis in cruribus incidunt, varij appetitus grauidis eueniunt, citoq; commutantur, quod picare ab aue pica denominant, hæc, & alia dicebat Aristoteles, & alibi asserebat statim post coitum locum siccescere labia esse leuia, ad cõceptum inepta cum seminis fluxione.

lib. 7. c. 4. de his. animal. ibidem cap. 3.

Addo etiam, quod corpus mutatur non solum ex recto in curuum, sed etiam de sano ad ægrum, & non sanum: ego verò in nobili muliere Ripętranson obseruaui dispositionem, huic potius contrariam, nam semper flaccida valetudinariaq; erat, pręgnans tamen robustissima, viuidoq; colore existebat;

Interdum pręgnans mulier vocem mutat; fit enim rauca, inflantur coxæ, & crura, à consuetis etiam recedit moribus, vt ex humili superba, menses silent, oculi diminuuntur, atq; concauantur pauco labore, vel aliqua alia de causa cito defessa euadit, acutè intuetur, oculorum pupillæ clariores, ipsorumq; albumen spissius fit, vnde magis dealbantur, extenduntur vberum capita, ipsaq; tumescunt, & duriora fiunt, sputum magis viscosum, & frequens conspicitur; prædicta autem signa magis contingunt puellis,

ellis, quam ætate maturis, & magis in primo, & secundo partu, quam in alijs. 5. aph.

Alterum dat Hippocrates signum dicendo si velis nosce- 41.
re an conceperit mulier cum dormitura est ei aquam mulsam potandam da, & si alui tormina patitur, concepit; sin minus, non concepit; principale tamen signum desumitur à mensium decursu, qui si cessat, nec morbifica causa adsit, semper grauidam mulierem ostendit: ideo Hippocrates 5. aph.
dicebat si mulieri cessent purgationes, neque febris, neque 61.
rigor superueniant, & fastidia incidant iudica ipsam in vtero habere; solet etiam venter rugire, & dolor in renibus sentitur; in vrina circa fundum apparet rotunda hypostacis, eadem caprinatum cottum, seu bombix, & propter superfluitatum retentionem spissa etiam apparet vrina, & vt vno verbo dicam vrinæ prægnantis habent hoc, quod primis tribus mensibus sunt lucidæ, postea sunt magis coloratæ, tertio hę vrinæ in sole aspectæ atomis plenæ videntur, fit quoque macer, & in incessu aliquantulum grauior, præcipuè post mensem quartum.

De signis Masculi conceptus, vel Fœminæ, & morbi fœtus in vtero. Cap. X.

TVMOR in dextera vteri parte masculum, in sinistra fœminam portendit; in hoc conueniunt Philosophi, & Medici, licet interdum hoc fallat; dextra mammilla fit tumidior, & durior in masculo, sinistra verò in fęmina, ac etiam dum fętus est masculus, pregnans in facie colorata apparet; ideo Hippocrates asserit, mulier si marem aph. 42.
concepit bene colorata est, si verò feminam malè colorata; epidermen in facie claram, ac mundam, & delectabilem retinent in masculi conceptu, & bene comedit, & bibit, leuis incedit, rotundus fit venter, & pelle extensus, nec occasione leui turbatur, frequentem admodum motum sustinet diù, noctuq;, & si vna vel duæ lactis guttæ à pręgnantis mammillis accipiantur, ac supra speculum,

ensem, vnguem, vel aliquem alium locum nitidum ponantur, tunc si lac diffunditur scies fęminam esse conceptam, si verò coagulatum, & vnitum persistit, fętum masculum esse iudicabitur; dum fęminam gestat pallida fit, atq; in facie panniculosa sicut Aristoteles testatur, fit etiam pinguior consueto citius debilitatur, edendi appetentiam non habet, imbecillior, pauidiorq; efficitur, sputum est viscosum, flatus voce diminuitur exagitatione cibi contrarij facile perturbatur; si in dextero latere fœmella concipitur (quod rarò accidit) melioris erit conceptionis, ac temperamenti, materq; melior se se habebit, si iubemus vterum gerenti manum ostendere, & ipsa dexteram porrigit, signum est masculi, si sinistram fœminę, si in terra sedens dum surgit manu dextra se quęrit eleuare masculum indicat, si sinistra e contra: lac in aqua fusum si dilatatur fęminam, si conglobatur masculum portendit, hoc idem mulsum efficit, quod manibus imponatur, & ambabus palmis stringatur, & si substantia spissum fuerit, & non aquaticum signum est masculi, si verò liquidum; nec bene tenax signum est fœminę; Aristoteles, & Auicenna asserunt, quod ex orbiculari, breuiq; ouo marem gigni, & excludi, ex ablongo verò & acuto fęminam, & ego obseruaui idem in prægnantibus nam dum venter fuerit orbicularis marem, si vero longus fœminam gigni. Quam plura alia signa sensibilia dari possunt, sed nunc breuitatis gratia hæc sufficiant.

lib. 7. c. 4. de bisto. ani.

Ad prænoscendum verò numerum filiorum, quos mulier sit habitura, in primo partu aspiciendi sunt nodi ipsius omphali, dum primum parit, qui matrici irrogitur, & quot quot fuerint tot filios procreare poterit, si verò nullus aspicitur nodus, nullum pariet filium, & sibi non viro culpa tribuetur.

Pro Gemellorum signo prægnantis mammæ respiciantur, quæ si æqualiter crescent masculos indicant, & prægnans quadam macredine apparebit; beneq; colorata, si verò vnus sit masculus, & altera fœmina, dextera mamma

dura

dura erit. pregnansq; in illa faciei parte macra, colorataq; videbitur, & in altera parte pinguis aliquantulum, & pallida, venter multum tumeſcet, & in dextera parte ſemper fortis fit motus, in ſiniſtra verò debilis.

Sed vt cognoſcamus an ſanus, vel ęger ſit fœtus Hippocrates inquit, mulieri vtero gerenti, ſi mammæ graciles repente fiant abortit, & alibi dicebat, mulieri vtero gerenti ſi lac multum è mammis affluat fętum imbecillem ſignificat, ſi verò mammæ ſolidæ fuerint, fœtum ſignificant ſaniorem (& poſtea) quibus corrupti ſunt fœtus, his mammæ extenuantur, ſi verò rurſus duræ fiant, dolor, aut mammas, aut coxas, aut oculos, aut genua infeſtabit, non corrumpet, dicebat, deniq; ſi mulieri vtero gerenti purgationes eant, impoſsibile eſt fœtum eſſe ſanum (in gemitis verò) hanc aſsignabat regulam, mulieri vtero gerenti ſi altera mamma gracilis fiat geminos habẽt alterum abortit, & ſiquidem mamma dextra gracilis fiat marem, ſi verò ſiniſtra fęminam; interdum etiam pili in mammis oriri ſolent, quod ſignum eſt infirmi fœtus; etiam ſi mulier pregnans pauida efficiatur, atque diffidat, ſignum eſt fœtum ægrotare, & eſſe paruæ vitæ ſiue non, mamma non gracilitas lactis paruitatem oſtendit; & interim ſigna phiſica, ſenſibiliaque ſufficiant; Aſtrologica verò infinita reddere poſſem, ſed quia iudico non niſi à profeſſoribus percipi, ideò ipſa pręcermitto.

5. aph. 37. *ibidem 53.* *ibidem aph. 54.* *5. aph. 61.* *5. aph. 83.*

De Amblosi, & remedijs ad idem. Cap. XI.

TVNC dicitur Amblosis (teſte Ariſtotele) cum integer factus eſt conceptus, nempe poſt ſeptimum diem; fętus verò, qui ante diem ſeptimum deijciuntur effluxiones potius, quã abortus ſolent denominari, ſiquidem ex Ariſtotele patet, vt ſuperius dictum eſt, ante diem ſeptimum, nec embrionem, nec fœtum, ſed ſemen tantum contineri in vtero.

lib. 7. c. 3. de hiſtor. an. *libro de carnib. pag. 60.*

Hanc eandem habuit Hippocrates ſententiam; cauſæ

verò abortus multæ ſunt, quarum primam Hippocrates oſtendit inquiens, ſi verò hyems auſtralis, & pluuioſa, & ſerena fuerit, ver autem ſiccum, & aquilonium mulieres, quibus partus ad ver ineſt ex quacunque occaſione abortiunt: quę verò pariunt imbeccilles, & morbidos infantes pariunt, quare, vel ſtatim intereunt, vel tenus, & valetudinarij viuunt; corpora tunc ſicut Galenus in cõm. inquit redduntur humida, ac rara per hyemem vnde aeris frigiditatem ad internas partes facile admittunt, & cum infantes aeris caliditate longo tempore ſint aſſueti frigoris ſuperuenientis iniuriam poſſunt perferre nequaquam i vnde ſine ordine ſe mouentes, calcitranteſq; diſrũpunt ligamenta vteri, & deijciuntur importune, aer igitur ſi vel calidior, vel frigidior, vel humidior, vel ſiccior fuerit poteſt abortus facere.

3. aph. 12. & lib. de aere aquas & locis prope med.

Aliam abortus cauſam memorat Hippocrates dum inquit, mulier vtero gerens ſanguine miſſo ex vena abortit: & magis ſi fœtus ſit maior: idem Hippocrates dicebat mulierem vtero gerentem capi aliquo morbo acuto, lethale eſt, poſtea dicebat mulieri in vtero gerenti ſi aluus plurimum profluat periculum eſt ne abortiat, quæ fluxiones non ſolum ſpontinæ verum etiam, & quæ ex purgantibus fiunt medicamentis debent intelligi; hac de cauſa pręgnantibus medicamenta purgantia, præter quam ſi materia turgeat, Hippocrates prohibet, & in materiæ turgentia ipſis tantumodo à quarto, vſq; ad ſeptimum concedit menſem, ſi verò etiam conceperint ſanguis multus de repente in vteros mulieris deſcendens genituram ſuffocat.

5. aph. 31. *5. aph. 30.* *lib. de ſterilit. circa princi. pag. 87.* *ibidem 34.* *5. aph. 29.*

Denique alias refert Hippocrates cauſas diſcendo, ſi mulieris grauidæ in vtero ſit ereſipellas, læthale: & paulo poſt quæcunque præter naturam tenues exiſtentes vtero gerunt, abortiunt prius quam craſſeſcant; deinde quæcunq; mediocriter corpora habentes abortiunt, ſecundo, aut tertio menſe ſine occaſione manifeſta: his acetabula vteri plena mucoris ſunt, & non poſſunt ex pondere fętum continere, ſed diſrumpuntur; dicebat deniq; mulieri vtero gerenti

ibidem 43. *ibidem 44.* *ibidem* *ibidem 45.*

gerenti tenasmus superueniens abortum facit, & alibi, aut amplius, aut minus nutrimentum accipiatur, aut timeat, & consternetur, aut vociferetur, aut intemperanter viuat: fętum corrumpet. Hæc omnia ab Hippocrate traduntur. *1. de morbis mulierũ ante medium pag. 320*

Nos verò si alias inuestigamus causas referemus; & ideò dum fœmina conceperit, leuiter debetur exercere, vsque ad nonum mensem, tunc enim deambulationibus gnauiter est exercenda, vt partus efficiatur facilior, & nunquam erit permittendum, vt transferat, aut eleuet pondera, vt bracchia, vel corpus extendat, neque quicquam super ventrem imponat, aut graue, aut durum, vt ve se inclinet, namq; hæc omnia abortum facilitare solent; vitandus est etiam vomitus deambulatio longa, laboriosaq; spiritus, lapsus, clamor, contentio, locorum acliuium, scalarumq; ascensus: vitabit quoque repentinos, & magnos sonos ex Hippocrate, vt tubarum tonitruum, & similium multæ enim mulieres ouium more tonitruum, & tormentariorum instrumentorum audito strepitu statim abortierunt ecplexis etiam, quasi semper abortum facit, sed si vterus fuerit robustior, vbi natus fuerit infans moritur, & ideo noctu sola non ambulet grauida vitent amara omnia, acria, & arida vehementer; grauida quædam Ripætranson serpente viso abortijt; ideo horribilia fugiat. *loco sopracitato.*

Dicunt Philosophi, quod si mulier viderit leporem marinum abortiat, vitanda etiam ecuolia amblatica, & quæ menses irritant, vt phaselli, ciceres, & eorum ius, opium, erithrodanum, sic etiam illa, quæ purgant: iuuant sicca vua, & cocrum cibis inspergere, & pyris mespilis, & huiusmodi astringentibus vti, nec non etiam cotoneis, imò expertum est, quod si cotoneum frequentius prægnas comedat, puella, aut puer ingeniosus industriusq; nascatur, imo cotoneum assatum comedere post cibum cunctis pro dest lętitiam induens, expelensq; pigritiam teste Abinzoar. *in proemio Teisir.*

Si non multum appetat grauida sapa cum sinapi iuuat; si fęces aluus non demittat mollibus clysteribus auxilium afferetur: aqua tepida etiam iuuanda est mulier, vbi iam

cęperit

cæperit vomere: interdum prægnanti tument pedes, ideò ex citri mali decocto debent lauari, vsusque eorum, ac punicorum malorum in cibis est fœtui salutaris.

Testudinum, leporum, cerui, damæ, cuniculorum, ericij, apri carnibus vti, confert summopere ad prohibendum abortum, sic & ouis testudinum, quæ non solum (vt dictum est) nę grauidæ abortiant solent efficere, sed etiam iuuant iam natos, qui statim morituri sunt, nec possunt educari, dummodo ipsis assidue vtantur; prodest, & vstus cancer fluuiatilis propinatus vino, catullorum, & leporis nondum natorum coagulum datum in potu mirificè conferre asserunt Medici.

Ætites sinistro bracchio alligatus, prægnanti abortum prohibet, & in partus hora alligatus coxæ aduenientia amouet pericula, & partum accelerat, alij eum ethicem, alij endem, alij Aquileum nuncupant, eo quod Aquilæ in nido inter oua soleant ipsum imponere; Sardonius etiam lapis ventri alligatus confert ad retinendum fętum, sicque samius lapis dictus ab insula sui nominis si in potu sumatur idem efficit, item maluæ agrestis radix, herba syderitis, & brachijs lapis, in pyrastro inuentus prosunt, ac præterea serici stuppa imbuta candido, ac luteo oui simul cum tribus aceti guttis super renes imposita; Berillus prægnantibus, nę partum abortiant, nec quid incommodi patiantur conducit, hæc, & infinita alia remedia dare possem, sed causa breuitatis sileo.

De exitu Infantis ex vtero, & difficultate pariendi. Cap. XII.

EXEVNT mares interdum proni ex vtero matris, aut capite nonnihil in obliquum inflexo, vt facies conspici queat; fęmellæ verò aduerso situ magna ex parte collocantur; itaut resupino ægressu, edito ploratu Cœlum obtueantur; licèt non semper hoc naturæ ordine procedere soleant; animaduertendum igitur secundum naturam infantem

fantem prȩuio capite se debere proferre, atque in longum corpore exporrecto, manibus fœmoribus applicatis exitus affectare, in hac opinione Aristoteles videtur fuisse; *lib. 7. c. 8. de na. animal.*

Præter naturam quando, aut inflexo, circumactoq; corpore, pedibus distortis, vel diuaricatis, manibus exporrectis, aut natantium more expansis, pronisq; humeris inflexa, contortaq; ceruice, capite in obliquum magno suo prȩgnantisq;, seu enitentis periculo in lucem prodeunt.

Sed vt secundum ordinem procedamus infans gestationis curriculo completo molitur eruptionem, seque inclinans voluitur deorsum, nequiens in latebris delitescere, quum illi per vmbilicum suppetat alimentum, cordisque calor absq; respiratione externa subsistere possit; quo circa alimento grandior factus non solum alimenti maioris, verum etiam, & lucis est auidus, præsertim carceratus in vteri angustia, & adaucto natiuo calore suffocationis imminentis periculum auersantis, quum non sufficiat spiritus maternus, quem illa per arterias subministrat: adeo vt membranis ruptis, quibus obductus erat acerrimo parturientis cruciatu (nam qui cõmodum sentit debet etiam sentire, & incommodum) in vitam producatur, & non solum fȩtus, dum est perfectus suis forsitan motibus, & calcitrationibus, sed potissime natura operante, vt Galenus testatur, & ita naturæ opera disrumpuntur membranæ, & exit fȩtus non aliter, quam maturi fructus ex arbore facile decidunt. *Hipp. de nat. pueri prope finem. l. secundum naturam ff. eo. 3. de natur. fac. c. 3. 14. de vsu part. c. 14. & 15. de vsu par. 7. lib. 7. c. 9 de hist. an.*

Causas difficultatis pariendi optime nos ab Aristotele docemur talia dicente cum mulieres pariunt dolores multi quidem in partes incumbunt, sed plurimum ad alterutrum femur, cæterum quibus aluum tormina vehementer exercent ocyssimè pariunt, quibus lumbi dolent vix pariunt, quibus imus venter expeditius, si mas nascitur; profluit sanies diluta pallidiuscula: sed si fȩmina cruenta: verum ea quoq; præhumida est sed fieri quoq; potest nonnullis, vt eorum neutrorum accidat ceteris animalibus partus non laboriosi eueniunt, minus enim cum parturiant infestari vi-

ſtari videntur. At mulieribus dolores vehementiſsimi incidunt, & præcipuè ſtabilibus, & ſellularijs, & quibus non latera ſunt, neque facultas retinendi ſpiritus ſuppetit difficilius etiam edunt, ſi interea dum per vim retinent, coactæ eruperint reſpirationem primum aqua illa ſubter cutem fuſa per fœtus motionem, ruptis membranis effluit deinde fętus inuerſo vtero, & ſecundis interna euoluentibus foras venit in lucem.

Difficultas etiam pariendi ex multis cauſis oriri poteſt, primo mulier, quæ vterinis moleſtatur, aut difficulter parit, ex Hippocrate, & vt Galenus dicebat, non ſine ratione fœtus neſcit obſiſtere, ſed ex febre, & vitio humorum corrumpitur, nonnunquam verò perdurat quidem vſque ad tempus partus, ſed cum, & ipſe valitudinarius ſit, vt qui longo tempore laborauit, & matrem habeat imbecillem, non ſine periculo paritur, cum ad bonum partum duorum corporum vigore ſit opus; & grauidæ mulieris, & infantis, fœtus robuſtus, & proinde valide calcitrans facile excludi ſolet ex Hippocrate, ætas etiam obſeruatur, nam iuuenculæ ante decimum quartum annum difficulter pariunt, tunc enim vix adeo exiſtunt anguſtæ vt partus difficilis fiat, ſic poſt 40. annum ſeniores propter virium imbecillitatem difficulter pariunt, etiam mulieres partui non aſſuetæ ex Hippocrate cum difficultate pariunt, ſic etiam delicatę, & molles, quæ dolores non facile poſſunt tolerare.

5. aph. 35. *5. aph. 56.* *lib. de morb. mul.* *lib. de morb. mul.*

Oriuntur etiam pariendi difficultates ex aeris mutatione, ſicut ab Hippocrate habemus; legiſſe recordor, & poſtea expertus ſum anno bixeſtili animalia ſterileſcere, & mulieres cum labore parere.

lib. 1. tex. 2 temp. 3. de morb vulg

Inter cætera animalia mulieres vterum ægre gerunt, & cauſa ab Ariſtotele redditur, cum enim mulieres ocioſam degant vitam, plus ſibi excrementi contrahunt, nam quibus gentibus ſolitum eſt, vt mulieres ſuſcipiant, ijs nec vterus tam difficulter geſtatur, & partus facile eſt, denique quibuſuis locis mulieres, quæ laborare conſueuerint faci-

lib. 4. c. 6. de ge. animal.

lius

lius pariunt: labor enim excrementa consumit, quę in mulieribus ociosis augentur, cumq; parturigo laboriosa sit, labor, & exercitatio actæ vitæ facit vt spiritum posśint retinere, qua in re partus facilitas conciliatur.

Difficultatem etiam pariendi ita accidere necesse est propter delationem longiorem, nam, & nunc mulieres si in partu, vel oscitando, vel alia eiusmodi causa retrahunt, facilius pariunt. *lib. 1. c. 11. de gen. an.*

Pingues, & præter naturam crassæ (teste Hippocrate) non concipiunt vtero ijs omentum os vteri comprimit, & prius quam extenuentur non concipit, ego obseruaui semper cum difficultate parere, sed non admodum præter naturam pingues; debiles, timidæ, paruam hysteram habentes difficulter pariunt, si ibi apostema, si nimis magnus fętus, quia ęgre excluditur, nimisq; crassus, vel hydropicus, aut maximum caput habens, vel capita duo, vel monstrum, aut si plures, veluti Gemelli, & præsertim si accidat, vt vterq; eodem tempore in vteri ceruicem decumbat, & si fœtus in vtero mortuus, & tritus, & si natutaliter non exit, si fuerit iuxto minor cum non habeat iustum pondus, hæc omnia diffi ilem, dolorificumq; reddunt partum. *5. aph. 46.*

A Medico me percepisse recordor grauidis, prægnantibusque multoties placidum, facilemq; partum denunciari, quando Luna noua, seu plena parturire incipiunt præsertim quum Lunæ vis pubi incubit, aut inguina, femoraq; occupat, nam sydus hoc singula membra percurrere spatio 28. dierum, ijsq; biduum non nunquam triduum insidere constat, quum enim moratur circa illas partes vterus lubricus, protinus dilatatur, ipsiq; infanti exitum præbet expeditum, si verò Luna senescente, atque imminuta partus inciderit magis laboriosus ferè esse consueuit, magnoq; conatu, ac molimine elidi, ratio cuius, licet à Ptholemęo multis in locis secũdo quadripartiti libro ostendatur, Aristoteles tamen in Astrologia satis versatus idem ostendit. *lib. 4. c. 10. de gen. an.*

Inconueniens hoc in loco non erit si aliquas Astrologorum referam opiniones, imo obseruationes à me factas, &

primo in infante quodam in mõte Florum nato anno 1609. Mense Aprilis die Saturni decima octaua, hora 23 cum minutis 27. horologij, cuius mater varijs torminibus vexata ex hac vita migrauit, cęli situ inspecto eodem tempore luminaria in Angulis Orientis, & Occidentis diametro radio se intuebantur; Venus etiam Martis significatrix in Geminis Marti iuncta partiliter in nona reperiebatur, & Saturnus in Aquario partili trigono in signis breuiũ ascentionum Venerem, Martemq; intuebatur, habes candide lector euidentem Matris mortem; saluus fuit infans, quia Sol, Horoscopus, atque Luna aphetæ esse poterant.

In altera verò Cęli constitutione non solum Mater, verum etiam, & infans mortuus est; prætere a mihi cum dictum fuisset à quodam sene se multos habuisse liberos, & postremo filiam, quæ prima, vel secunda hebdomada post ortum vna cum matre mortua fuit, quesiui tempus ipsius ortus, quod dixit fuisse anno 1581. die lunæ septima Augusti hora 7. cum dimidio horologij, & quisquis paululum in Astrologia versatus iudicare potuisset, quam debilis extiterit eo tempore Cęli dispositio, ac influxus in elementa, & corpora alia; primum enim nullus apheta erat præter horoscopum, qui ob australem nodum infortunatus existebat, atque etiam ambo ipsius domini, nempe Luna ob mansionem, & Iuppiter ob altitudinem in signis à proprijs dignitatibus cadentibus, Luna scilicet in Scorpione, & Iupiter in Capricorno cadens ab altitudine, atque retrogradus in sexto Cœli templo, Luna in vltimo Scorpionis gradu (si Ptholemeo, & Ægiptijs credendum) in maleficorum terminis, atq; non procul à Scorpij corde, inque solis tetragono dannata censenda est, Venus etiam radio diametro à Saturno respiciebatur.

lib. 1. quad. c. 19. tex. 37. 58.

Alterum referam exemplum perceptum à quodam Reuerendo meo amico, qui multoties dixit eius sororem anno 1611. die 14 Aprilis Romæ varijs pariendi doloribus per totam diem correptam, tandem quinta noctis hora cum minutis 20. peperisse maximo cruciatu, ac anxietate,

vnde

vnde cęlo inſpecto Horoſcopum à Sagittario occupari inueni,& quia Dragonis cauda iu ipſo orientali angulo erat, & Mars in ſeptimo cardine, Mercuriuſq; in tertia quadrato horoſcopum intuehatur,donec Dragonis cauda ad duodecimam non peruenerit, Mercurius partili tetragono radio horoſcopum reſpicere non deſtitit, & Mars in ſextam non ruit à Solis exagono radio illuſtratus, ideo nunquam pariens infantem foras eicere potuit. Hæc, & infinita alia exempla à me referri poſſent, tamen quia alibi diffuſe tractantur ideo ſilentio inuoluo.

Ad facilitandum denique partum remedia innumerabilia ſunt, etiam amuleta, & periatta ex Galeno; ſed apud antiquas mulieres erat Deę Lucinæ auxilium Iouis, & Latonæ filię, hæc enim eadem eſt cum Diana, Hecate, & Luna, differunt tantumodo nomine dicitur Lucina, quia lucet per noctem, vel quia lucem præbeat fętibus, qui ante ſeptimum Lunę menſem hac Solis luce perfrui minime poſſunt, vel quia maturos fętus in lucem ex vtero euocat; ſed cauſa quare Lucina nempe Luna dicatur plurimum conferre partutientibus eſſe debet,quia illius ope propter vim propriam humoris fœtus adiuuetur, cum illius benificio is in vtero intumeſcat, ad quam rem, & Solis, & Lunæ ratio præcipue conferre putatur, nam manifeſtum eſſe arbitror omnibus, vel mediocriter eruditis, quod Lunæ beneficio augentur humores, cuius vis in multis eſt conſpicua; ſed in conchyliorum genere præcipue,quæ cum Lunę lumine augentur, & decreſcunt. Huc accedit, quod parturiendi tempore plurimus humor ſero perſimilis in membrana cum fœtu continetur in vtero, quare, & vterus inſurgit ad expellendum cum fœtu humorem: cui rei cum moderator humorum ſit Lunę planeta plurimum conferre putatur, & idcirco Luna parturientibus, præeſſe credita eſt: coronabant præterea Antiqui Lucinam dictami, quæ quidem herba valet ad abortum, ad ſecundinas expellendas, & menſtrua.

5. de ſimpl. 17.

Et expertum eſt magnetem lapidem hora partus in

manu retentum eum facilitare; Galactides, seu galaricides lapis alligatus coxæ cum filo lanæ ouinæ partum facilitat, Gagates in aqua tritus, ac prægnanti exibitus, vel quocunque modo propinatus ab ea fœtum accelerat, magis verò succinum, quam Gagates prodest. Viridis Iaspis cum venis croceis, etiam prægnantibus, seu parturienribus auxiliatur.

De Inequali parturiendi tempore. Cap. XIII.

9. de histor. an. cap. 4. 10. problem. 11

OMNIA cætera animalia (teste Aristotele) partum suum singulari, & simplici modo conficiunt, ac vnum pariendi tempus à natura statutum habent, cum nonnulla longiori, nonnulla breuiori pariant tempore; Soli homini varium pariendi tempus datum est, sicut ab ipsomet Aristotele habemus; & experientia comprobatur, mulieres septimo, octauo, nono, decimo, & vndecimo mense parere.

Vterus tamen magna ex parte nono mense dehiscit relaxato osse pubis, & parturiente pro virili enitente, quod grauat excutere, atque infante insita vi, ductuq; naturæ erumpente; quo adiumento in partu mortuo, aut inualido mulier destituta est, namq; viuus, alacerque infans existit operi, aerique inhiat, & aurum nitit captare.

Sed est animaduertendum hoc in loco, nam fœtu excusso, vt frequenter accidere solet (vt ego in Ciuitate Montis Alti, dum ibi medicinam practicam exercebam expertus sum) vt secunda choryon à Græcis dicta in vtero firmiter, cuiusdam nobilis mulieris adheruit, & seiuncta in vteri fundo existebat, & instar pilæ conuoluta erat circa illam vteri partem; quam quidem nec violenter, & statim extrahere iussi, nec eius eductionem parui feci edoctus à sapientissimis Medicis talem detentionem cerebro cordi, ac stomacho grauissima inferre nocumenta vaporibus ab ea eleuatis, & iam ad eas partes traductis, & putrescentes interiora corrumpat, & seuissimis cruciatibus interficiat: erat in hac os vteri apertum velut obstetrix referebat; in altera

verò

verò ex castro Riparum dum in S. Ginesio medicinam faciebam ore vteri clauso talis membrana coniuncta erat in vteri fundo, accersitus igitur, & omnia ab obstetrice rectè percuntatus efficacissima multa presidia subministraui omnia tamen ociosa extitere, & de ipsius salute diffidens iussi vt pinguibus perfusionibus adhibitis per sinistræ manus digitos hysteram leniret aperiret, ac paulatim dilataret, vnde manu immissa secundam cohęrentem vteri fundo (veluti dixi) inuenit, tunc iterum iussi, vt apprehensam non statim rectam attraheret propter timorem hysterę prolapsus, sed sensim, & placidè in obliquum, & absq; violentia hac, illacq; obuertens, deinde paulo validior, vnde sic obediuit, & à connexu fuit dissoluta, & præter spem salutis libera euasit.

Sed quare non vnum sit pariendi tempus, primum ob sanitatis inconstantiam, atque morborum varietatem, nec non in formatione, & postea ob statum in vtero varium, mutationem, nutritionemq; & exitus celeritatem, aut tarditatem contingere potest, nam quemadmodum quorum celerior formatio est, ij celerius quoque mouentur, & in lucem exeunt, ita si validior sit fœtus, vbi perfectus existit exitum sibi parat, differt si imbecillior, atque si alimentum parcius habet, si verò vberius citius egressum quærit; atq; sicuti non omnes mulieres eundem in menstruis modum retinent, sed pro temperamento habitus, victus rationis, & status varietate, aliæ alijs largius, aut parcius expurgantur, ita quum vtero gerunt aliæ alijs copiosius, aut parcius fœtui suggerunt alimentum, ex quo fit, vt fœtus nunc cęlerius, nunc sęrius ad exitum sibi viam procuret.

Hæc sunt Philosophorum, & Medicorum sententiæ, quę cum naturalibus rationibus sint fulcitæ, atq; naturę respondeant non sunt vllo modo spernendæ; ego verò non minus Philosophorum, Medicorum amicus, quam Astrologorum sententiam ipsorum libenti animo referre conabor, quæ in hac materia non minus vera, quam vtilis à me pluries fuit obseruata, & semper certissima inuenta; ori-

untur

untur igitur diuersa pariendi tempora, atque conceptorum in materno vtero moræ à corporum supercelestium dispositionibus, & præcipue Lunæ, quæ à nonnullis planeta principalior dicitur; cum omnium superiorum planetarum influxum suscipiat comunicando inferioribus, & planetarum dispositiones in se claudat, & compleat omnes: Hęc regit diuersa in signis collocata diuersis, & sic varia semper varios producit effectus, & per coniunctiones frequentes cum planetis, & alijs stellis, omnium vxor facta; earum vires suscipit, & tanquam omnium inferiorum rerum mater inter, vtraque media superiora videlicet, & inferiora istis omnibus communicat, præcipuè autem quoties cum Sole iuncta fuerit toties viuific. repletur virtute; quam humectatis, dispositionesq; inferioribus infundit.

Sed quomodo ipsa magis præcipuus planeta dici possit, obseruatione probatur, quia magis Lunæ, quam aliorum planetarum attenduntur decreta; siue ex familiaritate, & vicinitate, quam nobiscum habet, siuè quia Sole excepto maior alijs appareat, vel quia eius motus magis est sensibilis, vel quia eius nocumenta suapte natura frigida euidentius experiuntur, aut quia (vt iam dictum est) omnium aliarum syderum influxuum receptaculum est.

Fuerunt etiam alij, à quibus Sol alter dicebatur, & non incongruè nam ea, quæ Sol generat superius vi masculina, Luna ipsius Solis, & aliorum planetarum fœtum suscipiens inferiori mundo sibi vicino edit: ideo eius motus præ cętetis obseruari potest, quasi omnium pariens conceptum: à Mercurio enim vim humores commiscentem suscipit, à Venere eam, quæ ad formas geniture conuenientes conducit, impetum, & robur à Marte; rerum omnium fermentum, & spiritum naturalem à Ioue, compaginem, stabilitatemque à Saturno, à Sole verò, qui continet virtutem omnimodam, perfectionem omnem, lumen habet, quæ omnia pro vario sui statu variè explicat, giro, aspectibusq; diuersis, tam cum planetis, quam cum alijs syderibus, nunc in auge, nunc depressa, nunc in sui epicicli extremo ab ea

distat.

distat, modo plena lumine, modo media, modo vacua, & denique penitus occulta.

Non immerito igitur ob tot mutationes, propinquitatemq; ad nos, si tot manifestos producat effectus, sed reuertamur ad propositum; multoties obseruaui ex Hermetis rerum cœlestium antiquissimi scriptoris decreto illum ipsum gradum Cęli horoscopare tempore partus; quem tenuerit Luna tempore conceptionis, & versa vice tempore conceptus horoscopare gradum illum, in quo Luna fuerit inuenta tempore partus, vel saltem loca diametra.

Ex hoc apparet quanta sit amicitia, atq; benignitas Lunę erga corpora humana, atq; etiam inspicitur pulcherrima Cœlorum armonia in inferiora, seu potius occultum Omnipotentis Dei misterium, & ipsius prouidentia infinita iungendo cum superioribus inferiora, quem nexum, atq; cęlorum motus si bene perciperemus, non mediocrem haberemus sapientiam. Ideo Deus in Mosaica Lege dicebat obseruabitis, & implebitis, hæc est enim vestra sapientia, & intellectus coram populis, hinc Hębrei luminarium motuum computum perdiscendum esse colligunt; *Deute. 4. & 16*

Et stantibus supradictis Lunę effectibus, facile inæquale tempus partus cognoscere possumus, nam in conceptionis tempore si Luna in Oriente versus Occidens ibit, repertaq; Apogea, vel in apogeo epicicli, partus erit post 288. dies ab hora scilicet conceptionis, vsque ad partus horam, si verò in perigeo, seu inferiori parte epicicli inuenta fuerit, pergens ab Occidente in Oriens, media mora erit, nempè dierũ 273. & hoc erit si per 90. gradus distet in conceptionis hora ab ascendente; si verò plus, minusue distans fuerit quædam alia erit, quam per Arithmeticam scire possumus, si in horoscopi gradu moram minorẽ esse significatur, quæ ex 258. constat diebus, si supra terram exciterit ab Orientali, vel Occidentali linea per quinque gradus, quædam alia diuersitas pariendi in vtero media inter minorem, & mediam solet esse, si verò Luna diametro radio horoscopũ illustrabit ex mente Haly vnius mensis potest fieri error ad

cuius

cuius emendationem ab ipſo traditur regula medios duplicando gradus inter occidentem, & Lunam, & per 24. diuidendo, & quot exierint dies erunt, & quot infra 24. remanſerint erunt horæ addendo dies iſtos, atque horas minoris moræ, & ſic intentum non deerit; ſi bixeſtilis erit annus horas quinque, & 59. minuta addenda ſunt, animaduertant etiam Aſtrologi in veri horoſcopi inuentione per Hermetis trutinam ſępiſsimè, & facile eos in errorem cadere poſſe, non reſpicientes an Luna in Martis termino, exaltatione, aut domo exiſtat, & quod ipſa tunc coniungatur Marti, oſtendens infantem ante completum tempus fuiſſe egreſſum, & etiam ſi per aliquot dies ante ortum Venus, vel Mercurius in loco Lunæ fuerit, habueritq; tunc Luna in Veneris, vel Mercurij locis poteſtatem, & cum ipſis aliquis infauſtus fuerit aſpectus, tunc infantem vterum ægreſſum per 8. dies ante debitum tempus oſtenditur; Hocq; accidit, quia vt apud Aſtrologos diuulgatum eſt adagium, Venus, & Mercurius maturant opus Lunæ.

Dico igitur, quod partuum prægnantium ſunt nonnulla, quæ retardant, & quæ accelerant veluti Lunæ diſsimilis motus, qui ad æqualem circumgyrationem terræ, ob quam ſimili modo nobis quotidie aſcendere, & deſcendere ſigna apparent, collatus eandem analogiam ſemper retinere non ſolet, ſicut etiam ſi fuerit Luna (veluti dixi) in aſpectu infortunarum, in ſigno obliquo, vel tortuoſo, & planeta retrogradus, vel ſtans lenti motus in horoſcopo, veluti docte à Cōmentatore ſumus edocti, & etiam ab eodem docemur, quod ſi loci lunæ, & aſcendentis exactè commutarentur in
6. aph. genitura, & conceptione fieri nequaquam poſſet, vt Ge-
152. melli ſimul generarentur, eſſetq; plurimum idem illorum
4. aph. fatum; in genituris verò perfectis (teſte Commentatore)
10 & 15 Luna redit ad ſignum aſcendentis conceptionis, vel eius
4. aph. 9. oppoſitum proprium; aſcendens tamen eſt locus Lunę conceptionis, vel eius oppoſitum, & in eadem opinione fuit
propoſ. Ptolemæus in centiloquio, vel quiſquis fuerit Auctor cen-
51. tiloquij.

Reſeram

Referam non minorem, & minus pulchram causam, quæ loco secreti in arte haberi potest ex Albubatre dirige Lunã hora geniture, & scias locum eius, deinde dirige eam per vnum annum integrum post ortum, & per vnum annum ante ortum, quo facto considera predicta tria loca, & si trigono aspectu se aspexerint mora nati in ventre matris fuit nouem mensium, si autem non aspexerint se natus per octo menses stetit: si autem duo ex locis prædictis se tantum aspexerint, mora nati in vtero esset septem mensium. *lib. ind. cap. 3.*

De Septimestri partu, & cur infans natus ante septimum Mensem, non viuat. Cap. XIIII.

ARISTOTELIS, & Philosophorum aliorum extat sententia ante septimum mensem natos non viuere: Hippocrates etiam cum Medicorum schola inquit, qui ante diem centesimum octuagesimum secundum, cum dimidio, ac diei particula in lucem veniunt non esse vitales; an quia fœtus adhuc non est perfectus, vnde ob alimenti indigentiam, & refrigerij exire cogatur ob imbecillimas tamen vires deprehensus in oris vteri angustijs suffocetur, vel ex complexione interiorum; exteriorumq; corporis partium maximas suscipit lęsiones. *lib. 7. & 4. de na. animal. in lib. de septimestri par.*

Etiam stante corporis infectione, noua viuendi ratio, liberiori aere frui insuetum alimentum, & labor in sugendo lacte perceptus omnia vitalē infanti auram tollere possunt; quando igitur fœtus, qui septimestris esse debet septimum mensem debet attingere;

Est principium septimi lunaris mensis dies centesimus septuagesimus octauus, quo die, & sequentibus tribus, qui nascitur, is vtique septimo mense nasci dicitur, & obseruatum est non viuere nisi, qui dimidium exactè annum, idest centum, & octuaginta duos dies cum quindecim horis expleuerit. Proponit id Hippocrates causam apertè non reddens; vnde alia excogitari non potest, nisi quia (sicut superius dixi) fœtus adhuc non est perfectus, perficitur

autem vbi dimidium annum absolutè attigerit, forsan ob Solem, qui, vt à Platonicis habemus est cœlestis ignis omnia decoquens, quæ ad magni animalis cibum pertinent, & Apollo dictus ex Chrysippi mente ab A quod est sine, & poly, idest multitudine quasi sit solus Cœlorum, & Syderum vim continens, quod quidem à Galeno confirmatur, Platonicus verò Speusippus inquit, Apollinem esse dictum, eo quod eius vis ex multis constet ignibus: omnium (vt dixi) Syderum vim, & lucem solus continens: nec stellatum concursus suos producunt effectus, quousq; Phębeo semine grauidentur; dictus etiam à specie, & nitore, teste Galeno, vnde pulcherrimum fingebant antiqui, Medicinæ Inuentorem denique appellabant ex calore viuifico, & virtute benefica; cui & Gallus (qui dat vt gallinarum oua sint fœcunda) dedicatus est, omnia igitur inferiora per verum cęli gallum confouentur, qui vt generationis ita, & perfectionis author eo tempore geniturę locum diametro, oppositoq; radio illustrat.

lib. 3. c. 1. de diebus decretorijs

3. de vsu partium cap. 10.

Et quidem minime negandum est dimidium exactè annum non semper ex diebus centum, & octuaginta duobus cum dimidio, & horis quindecim constare; ideò Polybus apud Plutarcum dum dimidij anni causam asignare nititur deceptus est, ratio sumitur à Sole Dierum, Mensium, Annorumq; Factore, qui ex tertio libro magnę compositionis Ptholemęi inequaliter per absidem, & absidis oppositum mouetur; atque experientia videmus ab initio Libræ ad Arietem citius quam ab initio Arietis ad Librę principium Solem moueri.

Pro huius rei intelligentia est animaduertendum solarem orbem à motu primi mobilis 24. horarum spatio moueri sicut, & alias sphęras, qui motus ad rem modo non facit, tamen isto ablato motu sicut per Aristotelem habemus aufertur, & alter motus, qui proprius, peculiarisq; est ipsius Solis, fitq; diuerso modo nempè ab Occidente in Oriens secundum signorum ordinem sub signiferi medio, ab Astrologis ecliptica linea nuncupata pro cuius medio ad verticale

lib. 8. phis. tex.

punctum

punctum, seu Zenith modo accedit, modo recedit; in hoc motu duas inæqualitates Ptholemæus cum sectatoribus obseruauit, quarum vna à recentioribus scriptoribus prima simplex, seu annalis anomalia, idest inæqualitas, altera verò secunda, seu duplex dicitur, prima est quia inspectum fuit ab Astronomis Solem in proprio cursu peragendo maiori temporis quantitate conficere partem Zodiaci Septentrionem versus, nempe à primo Arietis, vsque ad primum Libræ minutũ, quam alteram partem, quę versus Austrum inclinatur, & etiam maiori temporis spatio morari in quarta Æstiuali; nempe à 21. Iunij, vsque ad 23. Septembris, quam ab Æquinoctio vernali, vsque ad solistitium æstiuale hoc est à 20. Martij vsque ad 21. Iunij

Ptholemęus igitur, vt talis apparentia anomalia, & inæqualitas in Solis motu saluaretur eccentricum ipsius sphęræ dedit, cuius centrum est extra centrum mundi; Alphonsus Romanorum, & Castiliæ Rex in tres partiles orbes diuisit, quorum medius omninò eccentricus esset mundo, & ab Occidente versus Oriens moueretur; alij enim concentrica stabiliuit: Copernicus verò in Solis motu secundam posuit anomaliam, quam duplam nuncupauit, & ipsa inæqualem augis mutationem saluam reddebat, atque eccentricitatis mutationem.

Hæc omnia in astronomicis libris leguntur, ideo de hac materia longiorem sermonem habere non expedit, præsertim cum Tycho Brahe vir in Mathematicis Clarissimus nostra tempestate tutiores regulas tradere conatus sit; sat est nobis hoc loco dixisse Solis motum non esse æqualem, & per consequens anni dimidium, & cum Hippocrate non esse vitalem fętum, qui dimidium exactè annum non attigerit, hoc est secundum Solis motum.

Occurrit tamen difficultas nam Auicennas Hippocrati contradicere videtur, fatetur enim alicubi aliquem sexto mense natum vixisse, ad quod facillimè respondetur distinguendo menses in vulgares, & lunares, & dicendo Auicennam loquutum fuisse de vulgari mense; Hippocratem verò *lib. 9. c. 5. de animalibus*

de Lunari, atque si vulgares menses sex cum lunaribus septem aliquando concurrunt vt patet; Aristoteles etiam non vulgares, sed lunares solet intelligere;

lib. 4. c. 1. de ge. animal.

Et vt de mẽsibus aliquam habeamus notitiam, quadrifariam solent diuidi, primum Mensis genus est medicinale, de quo à me in 2. Tomi Cælestis Medicinæ tractatur: ideo non est opus hic repetere, secundum genus est, quod solare solet appellari conflatus ex triginta diebus, & apud nos vulgares hic æqualis multiplex triginta constans diebus, quinque intercalares recipiens, in vltimo, vt tota anni expleatur reuolutio, sicut est videre in Saturnalibus apud Macrobium; interdum inæqualiter est distributus, vt qui in vno 30. dies, 31. in alio, in alio 28. sicut apud aliquos Græciæ Populos post Platonem, & Berosum, apud Romanos, & apud nos: ideo asserentes septem menses, dies 120. continere, de istis mensibus intellexerunt, potius vulgi consuetudini, quam exactè subscribentes computationi: Tertium mensis genus sumitur à reuolutione Lunæ, quæ in diebus 27. ac horis octo solet perfici, talis mensis apud nullas gentes est in vsu, cum cælerius gens quælibet Lunæ radium post Solis synodum dignoscat, quæ solo percipitur visu, quam ad stellam aliquam (videlicet sicut Astronomi obseruant) primam Arietis, vel aliquod signiferi constitutũ punctum: quartum, & vltimum mensis genus est æquale spatium illi, quod coniunctiones duas Solis, ac Lunæ intercipere solet, ab Astrologis medias nuncupatas, hunc mensem Romanorum, & Castiliæ Rex Alfonsus agnouit, & Censorinus de die Natali narrat annum apud Græcos constare diebus 355., Palestini hoc mense vtuntur: Galenus etiam tertio libro de Diebus Decretorijs, & epidemiorum primo super verba (in Thaso) asseuerauit multis Græciæ Ciuitatibus talem mensem solennem esse: hic mensis est paulo maior diebus 29. cum dimidio, de quo Hippocrates in libro de Septimestri partu sępe meminit, sed integros non computat menses sicut videre est.

Pręterea aliam affero rationem, quare fętus sexto mense

ortus non ſit vitalis, & cum Hippocrate dicendo nullo modo ante ſeptimum menſem infantem viuere poſſe, quia ante id tempus non dum perfectus eſt, Aſtrologia ratione fulcitur, quia ſcilicet omnes planetæ iuxta Lunæ curſum ſuam proprietatem non ſunt operati; cum etenim ſeptem ſint Planetæ, donec omnes in fœtum ſint operati, ſemper immaturus partus cenſendus eſt, nam quod ſeptimi menſis partus vitialis exiſtant, non præter naturam eſt, ſed certæ huius rei cauſæ ſubſunt, ſi quidē dominante Luna ſuperiorum Syderum ſeminibus effecta prægnans tempore ſuo in nos fœtum diffundit tamquam matrix, atque inflexus à ſuperioribus ſuſceptos, veluti domeſtica mater nobis tribuit.

Cum igitur ipſa humani corporis ſit amica (vt multoties dixi) infans inſitaui, ac naturæ ordine circum agit ſe, ac conuoluit, locumq; ſuum mutat, & commodiorem captat, & quemadmodum experrectus noctu, qui in aliud latus ſe deuoluere quærit, molliorem q; culcitræ partem, ac minus preſſam captare, ſi ſibi aliquod inopinanter contingat, quo minus ſe denuò in lectum deuoluat, confeſtim cubile deſerit, excutitque ſomnum, tametſi aliquod noctis reliquium remaneat, ſic infanti ſeptimo menſe nato accidit, qui licet vſque ad nonum menſem eſſe in vtero deberet, obueniente tamen aliquo ſuperius dicto foras exit.

Si verò adhuc completus non fuerit ſeptimus menſis accidit ipſi infanti ſicut ſomno oppreſsis, quibus ſi præter opinionem, aut ſpem aliquod euenerit tumultuari illos contingit, ac contremiſcere, omniaq; confusè, ac nullo ordine, vel agredi, vel perficere; ita vt res nec fœlicem, nec optatum exitum conſequatur, vel dicere volumus infanti accidere veluti militiæ Duci, qui vel anguſtia, difficultateque loci, vel comeatus, aut rerum neceſſariarum inopia exercitum alio transfert, ſic tamen in metandis, mutandiſque caſtris miles continenter in excubijs agat, ac velut in procinctu conſtitutus ad omnem belli euentum, atque opinatum impetum, inſultumq; hoſtium erectus ſit, atque expeditus; ita ſi illo temporis momento, quo ſeptimo menſe is

naturæ

naturæ motus cieri solet parienti tempus inciderit, qui vltro, citroq; viribus infans in lucem prodeat, citra omnem dubitationem vitalis est.

lib. 7. c. 4. de na. animal.

Sunt quidem nonnulli (teste Aristotele) septimo mense editi corpore flaccido, minusq; firmo, & qui calorem natiuum languidum obtineant, sed nutricum cura, atque industria fulti diu subsistunt, vitamq; in multos annos proferunt, si quidem huiusmodi infantes opera, studioq; matrum, aut quibus alendi committuntur, vires concipiunt, atque adhibitis fomentis robur consequuntur, quo subsidio vitam in multos annos prorogant, veluti accidere solet illis, qui à senibus orti sunt, nam cum ipsis flaccidæ sint vires spiritus exiles, corpus sanguineis humoribus exhaustum, facultates naturales languidæ, eaque vis, quæ ab illis promanat, ac diffunditur in excitandæ prolis vsum inefficax, ac inualida modicis viribus imbuta fit vt minus viriliter connubiali officio perfungantur, ideo ab ipsis orti imbecilles, tetricos, morosos, mæstos, tristes, taciturnos, vultuq; toruo, ac minus blandos.

Alia consideratio sumi potest ex numeris Pythagoricis, cum septenarium numerum Pythagorici humanæ vitæ vehiculum appellent, hic multiplicis, & variæ potentiæ est, ex vno, & sex constat, vnitas vt patet numerum omnem simplicissimè penetrat, numerorum omnium mensura origo, & fons numerum omnem in se vnicè coniunctum continet, semper eadem, & immutabilis insors multitudinis, in se ipsa multiplicata, nisi se ipsam multiplicat, partium omnium expers, indiuisibilis, & si aliquando fingatur diuidi non secatur, sed multiplicatur nempè in vnitates, nulla harum vnitatum maior, vel minor est toto, multiplicatur itaque non in partes, sed in se ipsam.

Ex hoc multi concordiam alij pietatem, alij amicitiam nuncuparunt. Vnum itaq; rerum omnium principium est, & finis, neque ipsum principium, aut finem habens: nihil vno prius est nihil vno posterius. Vnum omnium rerum principium est, & vsque ad vnum omnia sunt, & vltra ipsum

nihil eſt, & omnia, quæ ſunt vnum ipſum deſiderant, quia omnia ab vno proceſſerunt, & vt eadem omnia ſint ab illo vno participare neceſſe eſt, & ſicut omnia ab vno in multa proceſſerunt, ſic cuncta, quæ ad illud vnum, à quo proceſſerunt redire conantur, & neceſſe eſt exuere multitudinem.

Vnitatem autem antiqui ſacrarunt Soli, qui vnicus Stellarum Rex eſt perfectiſsimus, in toto numerorum contextu; ab vnitate, vſque ad denarium ipſe ſolus adeò perfectus eſt, vt ſuarum partium collectione idem reſultet, nulla deficiens inopia, nec vlla ſuperfluus abundantia. Nam ſi eius partes dimidia ſcilicet, tertia, & ſexta, quæ ſunt tria, duo, & vnum congregantur, totum ſenarij corpus perfectè implent, qua quidem perfectione cæteri carent numeri: ideò Pythagorici nuptijs, generiq; prorſus accomodatum dicũt, cum ex triade per diadem ducta conferatur; velut ex vtriuſque ſexus commixtione pertinent ad Venerem, & Iunonem, mundiq; ſignaculum appellantes.

Poteſt etiam ſeptenarius numerus conflari ex duobus, & quinque, binarius eſt primum germen vnitatis, numerus primæ æqualitatis generis dicitur, & Iuno, extremitatis, & interualli, dicitur ſcientiæ numerus, memoriæ, & lucis, & numerus hominis, qui alter dicitur mundus, eſt & caritatis, mutuique amoris, & ſocietatis numerus, ac præterea connubij, & ſexus, cum duo ſint ſexus maſculinus ſcilicet, & fœmininus; hæc, & infinita alia de dualitate dicere poſſem, gratia tamen breuitatis omitto hunc tandem numerum Pythagorici Lunæ ſacrarunt, cum ipſa ſit ſecundum luminare.

Quinarius verò numerus ex primo pari, & primo impari conſtat, tamque ex fęmina, & mare, impar numerus per Arithemeticos mas, & pater eſt, par verò fęmina, & mater; hic dicitur iuſtitiæ numerus cum æquilibrio denarium fecet, & connubij numerus appellatur, atque Mercurio, cœleſtiq; mundo à Pythagoricis ſacratur.

Septenarius etiam numerus conficitur ex tribus, & quatuor, ternarius numerus primus eſt incompoſitus, quo vte-

bantur

bantur Pythagorici in ſantificationibus, & purificationibus, hic eſt numerus perfectionis, potentiſsimus, ſacerq; qui, & infinita habet miſteria, ſicut ex ſimbolica habetur doctrina; placuit ſummo Motori infirmum ſuum atque indignum ſeruum hoc ſignaculo fuiſſe inſignitum à 12.,& 13. deſcendente. Hic denique numerus competit Ioui, Soli, & Veneri, tribus videlicet fortunis, ſicut ſuperius dictum eſt, & deputatur veſtæ Hecati, & Dianæ, ideo.

lib. 1. cap. 5.

Tergeminam Hecatem, tria Virginis ora Dianæ,
& Cœlo, Ereboq; potentem.

Quaternarius numerus eſt fundamentum, & radix aliorum numerorum, vnde, & omnia fundamenta tam in artificialibus, quam in naturalibus, & diuinis quadrata ſunt, ſignificatq; ſoliditatem, quæ per quadratam figuram etiam demonſtratur; eſt enim quaternarius quadratus planus primus, qui conſtat duabus proportionibus, quarum prior eſt vnius ad duo: poſterior duorum ad quatuor, naſciturq; ex gemina proceſsione,& proportione,nempe vnius ad vnum, & duorum ad duo ab vnitate incipiens in quaternitatem deſinens, quæ proportiones in eo differunt, quod ſecundum Arithmeticam, ſunt ſibi inæquales,ſecundum geometricam verò æquales. Hic numerus eſt fons, & caput totius diuinitatis, ideo Pythagorici perfetum Naturæ fontem, & Tetractyn nuncuparunt, ſacraturq; Soli, qui eo numero quatuor cęli cardinis conſtituit,temporaq; diſcernit:deniq; ſeptenarius numerus habet tanquam copulam vnitatem gemine trinitatis, vnde ſi ſingula eius membra,eorumq; compagines conſideremus, proculdubio fatebimur eum tam ex ſuarum partium colligantia,quam ſeorſum ſua plenitudine omni maieſtate eſſe pleniſsimum.

Corpus conſtat ex quatuor elementis, & quatuor qualitatibus. Ideò ipſi competit numerus quaternarius, Animę verò ternarius numerus propter triplicem eius vim, rationalem ſcilicet iraſcibilem, & concupiſcibilem; ſeptenarius

itaque

itaque cum ex tribus constet, & quatuor, coniungit animam corpori, vis huius muneri ad genituram pertinet, hominemq; concipi formari, edi, nutriri, viuere, animoq; constare ad ipsum refertur.

Nam cum in aluo mulieris receptum est semen genitale, si septem horarum spatio absq; effusione permanserit, hesisse in vitam certum est: tum primis septem diebus coagulatur, fitq; ad recipiendam figuram humanam idoneum: deinde maturos producit infantes, qui septimestres vocantur, post partum deinde an victurus sit infans, septima hora discernitur, nam vltra hoc spatium, qui aeris sustinuerit halitum, ad vitam natus intelligitur, post dies septem vmbilici reliquias iactat; post bis septem incipit ad lucem visus eius moueri: in tertio septenario iam libere oculos, totamq; faciem vertit, post septem menses fiunt detentiones; post secundum mensium septenarium sedet sine casus timore, post tertium septenarium sonus eius in verba prorumpit: post quartum septenarium firmiter stat, & ambulat: post quintum septenariũ mensium incipit lac nutricis horrescere, post annos septem cadunt primi dentes, & nascuntur alij ad cibum solidum aptiores, absoluitur integritas loquendi, post secundum annorum septenarium, pueri pubescunt, fitq; generationis initium, vt superius dixi: ad tertium annorum septenarium crescit homo in longum, ostenditq; flores, & lanugines, fitq; genitura pollens, atque robusta, vsque ad quartum septenariũ crescit homo in latum, & in staturæ incrementa consumatur, in quinto omne viriũ, & roboris augumentum completur, sextus verò annorum septenarius collectionis vires seruat, septimo septenario prudentia consumatur perfecta redditur hominum ætas. Cum verò ad decadas septenas peruenitur vbi septenarius per numerum completum conducitur, tum viuendi communis habetur meta. *lib. 1. c.*

Inconueniens igitur non erit si nos, vt talium numerorum quidditatem, atque misteria peruestigaremus altiorem doctrinam, atq; simbolicam edidicerimus, cuius tractatio

hoc in loco est congrua nequaquam; sufficit tantumodo obscuris verbis colligare quare secundum Pythagoricos numeros septimestræ fętus sit vitales.

De Octimestri partu, & quare non viuant. Cap. XV.

lib. 9. c. 5. de animal. lib. 7. c. 4. de hist. animal. 10. problem. 40

QVI octauo mense oriuntur rarissimè vitales sunt, imo Auicennas censet, nec viuere, nec nasci posse, atque etiam Aristoteles dicit octauo mense natos non solum non viuere, sed etiam parturientes mortis periculum subire; vnde corrigendus est ille locus Aristotelis dicendus homo nascitur septimo octauo, & decimo mense, & legi debet septimo, nono, & decimo.

Cum sedatus, sopitusq; fuerit motus ille naturæ, & agitatio, quæ ex certa causa accidere consueuit septimo mense tum à matre, tum ab infante, tum ab inquietudine septimi mensis lapsus vires colligere incipit, atque ad perfixum gestationis tempus in vtero materno refoueri: quo fit vt si mulierem aliquam, vel intemperie, vel perturbatione infantem sedibus suis exturbare cõtingat lethale existat propter causam extraneam.

Extat verò quædam Philosophorum sententia circa hoc, afferunt enim inesse id humano semini, quod tritico, & alijs quibusdam peculiare est, aut semen aliud septimestre, aliud nouimestre sit, octimestre autem de natura esse nouimestris, sed imperfectum, ac propterea ad vitam ineptum aiunt, quorum Philosophorum sententia, quam falsa sit non est difficile compræhendere, qui si hæc humani seminis distinctio ita se haberet, profectò sicuti triticum, vel ordeum, seu millium, & alia seminum genera singula proprium tempus nascendi, vel celerius, vel tardius semper obseruant, ita cui homini semen septimestre esset, is septimestres semper fœtus, non etiam nouimestres, & cui nouimestre, nunquam septimestre procrearet, quod quidem quotidianæ obseruationi repugnat, qua ex ijsdem parentibus, & septimestres, & nouimestres oriri videmus.

Astrolo-

Astrologica autem opinio est, Saturnum octauo mense puerum conceptum dirigentem sua virtute fœtum in vtero infrigidare, ita vt frigus vitali spiritu debilitato vix in co motus appareat, & si per illo mense exibit, cum ferè siccus, & congelatus sit non solum parui spiritus, breuissimæque vitæ, verum etiam quasi semper mortuus egreditur; Saturnus igitur sydus ferale, & noxium exasperat, suaq; frigiditate infanti vires deijcit;& meritò ab Astrologis infortuna maior fuit appellatus.

Vel dicere volumus, quod in octauo mense nati non sint vitales, quia nulla societate octauum Zodiaci signum cum primo teneatur, sunt enim inter se inuicem disiuncta, Aries, & Scorpius, Taurus, & Sagittarius, Gemini, & Capricornus, Cancer, & Aquarius, Leo, & Pisces, Virgo, & Aries, Libra, & Taurus. Præterea octaua Domus græcè dicitur . . . . idest locus piger, & ociosus, quando quidem nulla cum Horoscopo (vitę significatore) familiaritate coniungitur, sed potius locis maxime noxijs vt sexto loco ægritudinum ex sextili, & duodecimo (loco carcerum & inimicorum) Trigono cõnettitur Astrologis locus interficiens, & domus mortis nominatur, sicut enim Solem reliquasq; stellas ex superiori hemisphærio decumbentes, & ad occasum properantes velut reclusis portis deducit, atq; per occasum è conspectu nostro abripit, vt frui amplius ipsarum luce, & calore desinamus, ita mortem, & vitæ finem nati significat, vel naturalem ex morbo, vel non naturalem, & violentam ex causa aliqua externa, huiusq; Domus Astrophili consignificatorem.

Si verò Physicam; seu Medicam rationem afferre volumus, cum Hippocrate dicemus, quum in septimo mense fœtus in exitu quærendo laboret, reddaturq; labore imbecillis inde quidem accidit, vt si septimo mense transacto prodeat in quadragenario sexto prodeat, qui cum in vtero grauis soleat esse grauior extra vterum ob aeris insueti, atq; accessionem alimenti insalubris est, & maleficus. Non ita euenit si in nonum mensem exitus protrahitur, nam cum in

in lib. octimestri partu.

In præmio de vita cœlitus cõparanda

octauo intra vterum instauretur, in maioremq; molem, ac robur maius proficiat, fit vt cum exit minus externis iniurijs succumbant.

Marsilius Ficinus, vt alias dictum est, fatetur puerum octauo mense natum Florentiæ Saturno in horoscopo retrogrado existente semiuiuum cum medicamentis Astrologico delectu factis sanasse: Aristoteles etiam viuere affirmat, cuius rei causam si astris tribuere nolumus (quod magis verisimile) saltem cum Hippocrate dicemus partum in quinto quadragenario fuisse, siuè ob regionis calorem fœtus imbecilles fouentem.

citato

lib. 7. c. 4. de hist. animal.

Hoc idem Aristoteles confirmat, sicuti in terra Ægipto, & quibusdam alijs in locis accidit vbi mulieres fertiliores sunt, multosq; simul facile, & ferunt, & pariunt etiam si monstruosi sint, sed locis Græciæ multi intereunt, & perpauci seruantur, vnde fit vt si quis seruetur, non octauo mense natus existimatur; sed mulierem sui conceptus initiũ latuisse, alibi etiam pasim non viuere obseruatum est, quod Hippocrates vt id quod frequẽtissimũ est, rectè obseruauit.

Octonarium autem numerum Pythagorici Saturno, atq; Parcis constituerunt, cum octimestres partus (vt dictum est) non sint, vitales Plutarcus Baccho, seu Dyonisio adsignat, qui octauo mense in lucem editus est, in cuius sempiternum testimonium Naxos insula illa dicata, hanc prerogatiuam obtinuit, vt Solæ noxiæ mulieres octauo mense salubriter pariant, fętusq; edant vitales cum vbiq; ferè gentium omnes sic geniti intereant, & etiam matres in manifesto versetur periculo.

Rationum omnium supradictarum, quisq; suam assumere potest, ego tamen Astrologicam quam frequentissimè obseruaui, spernere non audeo.

De Nouimestri, Decimestri, & Vndecimestri Partu. *Cap. XVI.*

NONO à conceptione Mense aduentante alimenti inopia infans subsidit, ac deorsum deuoluitur, vterique vestibula

vestibula primosq; in lucem editus persequitur, atq; exitum affectat, nonnũquam in ipso pariendi calore, ac festinatione, impetu quodam per lubrica labitur, atque dehiscente vtero, nullo obstetricis adminiculo dicto citius (vt maturum pomum leui attactu) decidit, quod ijs potissime vsu venit quibus vterus amplissimè dilatatur, atq; infans omnia cumulatè est consecutus suis viribus abunde instructus.

Mense etiam nono conceptum puerum Iuppiter dirigit, qui ob caliditatem, humiditatemq; temperatam humanæ naturæ amicus existit, atq; semper prodest: ideò ab Astrologis fortuna maior fuit nuncupatus, eodem enim tempore iterum, sicut in mense secundo flatum gignit, vnde vt plurimum infantes hoc mense in mũdum exeunt, eriguntq; tunc oculos ad Solis lumen, si in die est, vel ad candelæ lumen si in nocte, de non visis mirantur, & propter loci angustiam, per quam exeunt adstructi, atq; in vtero calido quiescere soliti ab aere tum frigido ambiente offensi incipiunt flere; cuius rei allegoricus sensus erit, quod statim masculus infans flere incipiat huius terrestris vitæ miseriam, & incõmoda, vnde Masculus voce clamans dicit Oa, quasi ò Adam quare peccasti? Fœmina vero oe quasi ò Eua quare peccasti, nam tuo pro peccato incommoda dolores, & perturbationes maximas sum passura.

Nouenarius numerus Lunę cęlestium omnium influxuum, virtutumq; receptaculo sacrarunt, sic etiam, & Musis Nouem, quæ sunt Calliope, Polymnia, Vrania, Clio, Terpsichore, Erato, Melpomone, Euterpe Thalia: quæ quidem Musæ nouem spheris nouem à Pythagoricis fuere accomodatæ;

Sequitur modo, vt de illis agamus, qui exacto, completoque nono mense in decimum deueniunt, quos partus deueniunt, quos partus decimestres Hippocrates vocat, & in libro de Septimestri, & octimestri partu proponit eos, qui in septem quadragenarij circuitibus nascuntur, quos decimestres vocamus ob id maxime educari, quia validissimi sunt;

Etiam

in lib. de natura pueri. Etiam alibi scriptum reliquit fœtus maiores vires acquirere in vtero decimo mense, quando partus matri instat, vt membranas disrumpere possit si verò violentum quid puer pariatur (vt superius dictum est) etiam si alimentum à Matre subministratum prius defecerit ante statutum tempus, & ante decimum mensem excidere necesse est: Vnde ex Hippocratis dictis legitimum, verumq; partus tempus non quidem nouem mensium vt dicitur, sed decem esse colligitur, cui conformis est Auicennas. *lib. 9. c. 5. de animal.*

Nec immeritò forsan Pythagorici denarium numerum omnem numerum dici, seu vniuersum affirmabant, atque numerum completum circularem, plenum vitæ curriculum denotatem, ab eo enim non numeratur vlterius, nisi per replicationem, & cunctos numeros, vel intra se implicat, vel per se, suosq; explicat multiplicando; hic ad Solem spectat, atq; Ianum, nec non etiam mundo solet assignari. Ne mirum igitur videatur infantes oriri posse decimo mense, cum etiam septimo quadragenario oriantur.

lib. de octimestri partu Sed adhuc altera adest difficultas, nam Hippocrates dicebat etiam vndecimestrem constare ex septem quadragenarijs velut ex dimidio anno septimestrem, sicut ab ipso met ostensum fuit mutilos primum, & vltimum mensem sumendo, sed cum valde difficilis sit Hippocratis locus, oportet exemplo dilucidare, ponatur igitur post plenilunium fieri conceptum, verbi gratia sexta die, tunc vndecim dies supersunt, qui primum mensem constituunt; addantur octo completi menses, ac præterea mutili dies mensis vltimi viginti conficientur summa dierum 273., atq; his absoluitur decimus mensis ab hoc autem ad diem ducentesimum octuagesimum, qui est finis septimi quadragenarij, desunt dies septem, qui vndecimo tribuuntur mensi;

Ex quo apparet vndecimestres etiam esse in septimo quadragenario, & hæc mora maior ab Astrologis dicitur, an verò dentur partus vndecimestres Hippocrates (vt superius dictum est) comprobat dari vna cum Aristotele, Auicennas tamen decimo quarto mense natum infantem affirmat, *lib. 7. c. 4. de hist. animal.*

cui

cui experientia cuiusdam nobilis Firmanæ fauet, hæc enim post conceptionem decimo quarto mense infantem ossibus durioribus pariendo obijt; lege tamen cauetur post decimum mensem mortis non admitti ad legitimam hæreditatẽ

intestato iuxta finem ff. de suis, & legitimis.

De formæ, Motus, & Natiuitatis temporis absolutione per calculos Hippocratis, vbi etiam recensentur reliquæ Astrologorum opiniones circa idem. Cap. XVII.

HIPPOCRATES in indagandis naturæ rebus perspicacissimus præfixum, certumq; dierum spatium, quo forma, effigiesq; infantis absoluatur, exarceatur motus, ortusq; succedat ad calculum reuocauit, ex dierum igitur, mensiumq; decursu liquido apparebit diem formationis duplicatum motus diem constituere motionis verò triplicatum commostrare nascendi tempus. Ideoq; inquit Hippocrates, si trigesimo marem confici contingit, sexagesimo accipiet motum, & mense septimo ducet ortum; si trigesimo quinto die formam accipiet, septuagesimo mouebitur die, proderit in lucem octauo mense; si verò quadragesimo quinto forma absoluitur nonagesimo mouebitur die, & mense nono nascetur.

in lib. de natura fetus

Cum verò ob caloris imminutionem (vt superius dictum est) fœmina tardius perficitur, ideo tardius producitur, nam si trigesima die formata fuerit mouetur septuagesimo, & septimo natiuitatem consequetur mense, si die quadragesimo erit formata octuagesimo motum accipiet, & nascendi primordia octauo mense habebit, si quadragesimo quinto à conceptione die formata erit, nonagesimo motum obtinebit, nonoq; mense nascetur, si verò quinquagesimo formam legitimam habuerit die centesimo incipiet moueri, decimoq; mense eruptionem molitur.

Vniuersaliter etiam Hippocrates veluti in suis scriptis est videre, partus tria temporum genera considerat, minimum videlicet, maximum, & medium, & in his vltimam perfectionem, in minimo menses considerat, atq; rationem

Astro-

Aſtrorum, in maximo Pythagoricam rationem; in medijs autem, vtramque, naturalis ratio comunis eſt omnibus: quarè vbi vna concurrit ratio, tunc tantum vitalis eſt, longe plus vbi duæ, ſed vbi omnes hic abſolutus eſt, & maxime vitalis.

Aſtrologi etiam quandam inter generationem, & ortum dant ſimilitudinem, & hoc eſt quia Sol eſt vel in ſeptimo ſigno, vel in nono, vel in decimo, vel in vndecimo, vel in tempore natiuitatis ab eo, in quo erat tempore generationis veluti (texte Comm) ſi in generatione fuit in Aquario Sol, naſcetur neceſſario infans ſi viuere debet poſtquam Sol fuerit in Leone, vel Libra, vel Scorpione, vel Sagittario, & quia Leonem Aquarius reſpicit de oppoſito; ideò natus ſeptimeſtris cum difficultate viuere poteſt, viuit tamen. Si verò poſtSolem in Scorpione erit in quadrato ſui loci prioris: & ita natus decimo menſe etiam poterit viuere, ſed aliqua cum difficultate. Si verò Sol ſit poſt Sagittarium reſpiciet locum de ſextili, & naſcetur vndecimo menſe, ideo poterit viuere, ſed cum difficultate, quia radius ſextilis eſt debilis. Verum ſi naſcatur Sole Libram inſpirante, naſcetur validus quo ad rationem ſignorum, & naſcetur in nono menſe, quia Libra reſpicit Aquarium trigono radio, ſi verò naſcatur dum Sol eſt in Virgine naſcetur octauo menſe: cum igitur Virgo non reſpiciat aquarium non poterit natus eo menſe viuere. Contingit tamen aliquos viuere natos in octauo menſe, quando Sol fuerit à principio in Piſcibus, vel Virgine, vel Geminis, vel Sagittario hora generationis, deinde tempore natiuitatis ſit in octauo ſigno, quod reſpicit, aut imperat, vel obedit iuxta numerum graduum, Exemplum, aliquis naſcitur cum Sol eſt in vigeſima parte Libræ, dico qnod oportuit, ſi generatus fuit dum Sol erat in Piſcibus, quod eſſet in vndecima parte Piſcium, intuetur vigeſima Libræ, Breuiter igitur concludendo in aſpicientibus ſignis intelligitur, quod tranſierit Sol talem aſpectum, & durat per vnum menſem poſt exemplum, ſi Sol ſit in vigeſima parte Capricorni, ſeptimus menſis incipit dum Sol eſt

lib. 3. comm. 3 quad.

in vige-

in vigesima parte Cancri, & durat donec Sol peruenerit ad vigesimam partem Leonis, à vigesima parte Leonis, vsque ad vigesimam partem Virginis est octauus mensis, in quo non potest nasci, quod viuat, quia nullus est aspectus, qui præcesserit per triginta gradus nisi contingat, quod duo illi gradus se intueantur, quemadmodum in exemplo iam dato. Cum verò Sol fuerit in trigesima parte Virginis, incipiet nonus mensis, quia iam peruenit ad trigonum suum, & durat, vsque quo Sol perueniat ad vigesimam partem Libræ tunc verò peruenit ad quadratum suum, & ita incipit decimus mensis: & eodem modo de vndecimo, qui finitur dum Sol est in vigesima parte Sagittarij, & quia vigesima pars Sagittarij non aspicit vigesimam Capricorni, non poterit nasci infans duodecimo mense, vt viuat nisi in vna sola die, quando Sol esset in signo, & gradu aspiciente, veluti hora genituræ in vndecimo gradu Capricorni, hora natiuitatis in vigesimo Sagittarij. Viuacissimi igitur sunt nati secundum hanc rationem nono mense, inde decimo, inde vndecimo, inde septimo minime nati octauo, & etiam longe minus duodecimo. Quæ ratio Astronomica cum concordet experimento manifestum est quod est vera.

De Monstruosis. Cap. 18.

INTERDVM oriuntur monstra, quæ à monstrando dicitur, quasi digito mostrentur, quorum causam Aristoteles tribuit, vel deficientiæ, vel abundantiæ materiæ, ideo Empedocles monstra nasci dicebat, si multum fuerit semen, vel paucum, si diuulsum si invalidum, si inordinato motu immissum, sed & generationis facilitas ad monstra disponit, ideo frequentissima fiunt in plantis, in vilioribus animalibus, tum in fœcundis, & nobilibus, deinde in parum fœcundis, & perfectis vltimo, veluti in Homine &c. Astrologi verò præcipuè Ptholemeus à maleficis stellis in generatione primo impressiones recipere asserit, an verò monstrorum simplex sit naturæ error, aut ea aliquem finem

lib. 4. c. 4. de gener. ani.

lib. 3. tex 20. quad.

intendat, Aristoteles fatetur, naturam, dum aberrat, in proximiori genere finem suum assequi, vt pote fœminam Maris loco, Hominis loco bipedem dummodo materia non obsistat. Monstrorum verò genera cum plura sint ad species referri non possunt.

Absoluuntur in vtero, viuuntq; cum generentur, & quæ generantur necesse est ab ijsdem causis à quibus fiunt etiam seruari, verum cum à natura propria remota sint imbecillia, ac insaluberrima intereunt cum primum fuerint nata; adnata etiam conuiuunt, quia congenita eorum participant vitam, quibus congenita fuere; difficilius autem multo viuere, quam conuiuere; quamobrem nata protinus moriuntur, quæ viuunt in vtero aliam habent rationem, nam generationi, & parum admodum à perfectorum generatione differunt, veluti, & caulis, & quercus, vbi primum pullulare ceperint, vix altera potest dignosci ab altera, vbi absoluuntur tantum distant, vt illas distinguere infantes (vt ita dicam) posſint, & lineæ ab eodem prodeunt puncto cum distent minimum, tanto plus distant, quanto plus processerint. Ista igitur cum in vtero sunt, quia distant minus à principio, minus etiam à naturali forma, compositioneq; degenerant.

Quare etiam monstrum sponte sua, quanto magis augetur, eo imbecillius solet fieri, & morti propinquus. Natum etiam aeri occurrit frigidiori, & ob id in calidioribus regionibus, vt in Ægipto (teste Aristotele) monstra magis viuunt, cumq; ab humana recesserint forma, & ad belluarum, ferarumq; & piscium, & colubrum figuram transierint eo minus viuunt, viuunt magis, quæ minus à natura recedunt, & magnitudine situ, situ forma, forma numero.

Sed cur monstrorum abortus rarò fiant? ratio est quia abortus rari, monstra rariora; monstrorum igitur adortus rarisſimi.

Videmus denique experientia omnes monstruosos aliqua improbitate munitos, & improbis moribus affectos, & magis, atque minus secundum partem affectam; ideo videmus

gobbos

gobbos pessimos esse cum circa cor totius corporis principium versetur error, deinde cœcos, strabosq;, quod circa cerebrum Natura deliquerit, tum mutos, surdosq; nam Natura in minus nobili parte cerebri deficit, inde claudos, postea in magno membro vitiatos, tum sedigitos, & iunctos digitos habentes, nam in minus necessarijs Natura aberrauit, demum verrucas habentes; de his omnibus sermonem habent, qui de Phisonomia pertractant, vera tamen absolutè esse, ac necessitatem hominibus imponere minime affirmamus, sed tantum inclinare, quoniam sapiens dominabitur Astris, & rates Anima mea in manibus meis sẽper.

Et hæc circa totam materiam propositam dicta sufficiant, quæ cum breui temporis interuallo à me fuerit absoluta, si aliqua saltem ex parte grata extiterit laborem meum non inutilem fuisse letabor, & si quod ingratum, seu quod minus placeat continere deprehendetur lectores Adolescentiæ, & curiositati adscribentes, omnia benigno iudicio inspecturos confido, meliora enim forsan in dies afferrentur.

FINIS.



TABVLA
RERVM MEMORABILIVM.

A

Anima-

Candela

iam

grati-

I

L

Lupi

S Mosa -

Pecca-

sangui-

Talpa

T

V

FINIS.

ERRATA SIC CORRIGE

Cart.	Verſ.	Error.	Corret.
20	13	obtumeſcere	obmuteſcere
21	32	obtumeſcere	obmuteſcere
26	9	ſemiſpherio	hemiſpærio
31	13	æcum	cęcum
34	11	aque	atque
38	1	dicenti	decenti
38	2	lanuguine	lanugine
40	32	Venere	vere
40	33	Ianus	ſanus
54	19	acut	acuit
54	24	recudendi	reducendi
57	23	virgio	virgo
76	36	deſtructiones	deſtructores
78	12	fuerit	fuit
80	17	paculiarem	peculiarem
89	5	concreto	concretio
89	34	mentem	menſem
91	6	extiterint	extiterit
93	28	viſui	vſui
96	8	at	vt
97	21	morbi	morbidi
99	14	gemitis	geminis
100	6	tenus	tenues
101	6	debetur	ſe debet
107	20	partutientibus	parturientibus
107	21	benificio	beneficio
108	21	aurum	auram
116	6	Tomi	Tomo
119	14	generiq;	genijq;
120	23	perfetum	perfectnm
120	25	cardinis	cardines
121	15	detentiones	dentitiones
121	21	aptiones	aptiores
124	25	Noxie	Naxie
126	4	pariatur	patiatur
126	13	denotater	denotanter
129	24	dicitur	dicuntur
131	1	gobbos	gibbos
131	13	fuerit	fuerint
131	14	extiteris	extiterint.

Fr. Paulus Nicolaus vidit, nihil contra fidem, nec contra bonos mores inuenit, si placet Illustriss. & Reuerendiss. D. Card. Epis. Macer. Imprimatur.

Imprimatur Antonius Franciscus Pelicanus Vicarius Gener. Illustriss. Card. Epis.

Magister Fr. Stephanus Maginus pro Reuerendo admodum P. Mag. Pio Ioannino de Bononia Inquisitore Generali Anconæ, & Annexorum, Vidit, & approbat.

Imprimatur Vic. S. Offitij Macer.

F I N I S.